







This is the Latin ed.
The German edition has a different
title: "Beyträge zur Besondern Geschichte
der Vögel, Heft I, 1784 and Heft II, 1786

AVIUM

RARIORUM ET MINUS COGNITARUM

ICONES ET DESCRIPTIONES

COLLECTAE

ET E GERMANICIS LATINAE FACTAE

A

BLASIO MERREM,

PH. D. PHYS. ET MATH. IN REG. DUISBURGENSI ACAD. P. P. O.
SOC. R. SCIENT. GOTTING. LITTERAR. COMMERC. IUNCTO.

FASCICULUS PRIMUS.

LIPSIAE,
EX BIBLIOPOLIO IO. GODOFR. MÜLLERIANO
cIɔIɔCCLXXXVI.



VIRO ILLVSTRISSIMO

DOMINO

CAROLO ABRAHAMO

LIBERO BARONI

DE ZEDLITZ,

DYNASTAE IN CAPSDORF, MICHELWITZ ETC.

BORVSSIAE REGIS

IN REBVS STATVS ET IVSTITIAE

AMICO

ACADEMIARVM REGIARVM

SVPREMO CVRATORI, TVTORI, SERVATORI

CVIVS INSIGNI HVMANITATI AC BENEVOLENTIAE MVNVS,

QVO FVNGOR, DEBEO.

GRATA ET PIA MENTE

D. D. D.

BLASIVS MERREM.

PRAEFATIO.

Ex quo tempore primus Mantiſſae huius germanice conſcriptae, faſciculus prodiit, variis impeditus obſtaculis et curis, neque tam cito, quam optabam, ſecundum eius faſciculum edere, neque generalis auium hiſtoriae edendae initium facere potui. Interea vero poſſeſſor bibliopolii Lipſienſis Mülleriani, libri vtriusque ſumtus et curam in ſe ſuſcipiens, a me poſtulauit, vt ſimul cum textu germanico latinam conſcriberem verſionem, vt et ab exteris ornithologiae cultoribus legi et intelligi opus poſſet. Trado itaque Tibi L. B. primum huiusce verſionis faſciculum, in omnibus textui germanico ſimilem, niſi paucis in locis auctum atque emendatum, eodemque in poſterum modo tam ſyllogen hanc rariorum auium, quam generalem earum hiſtoriam, ſi non eodem, ſaltem non longo interiecto tempore, germanice latineque iuxta conſcriptam accipies.

Monendum adhuc, ex auibus in hoc faſciculo deſcriptis vnam tantum (Graculam chryſopteram) Muſeo meo propriam, ideoque et accuratius deſcriptam et menſam fuiſſe, cum reliquarum in aliis collectionibus obuiarum, non niſi per vitrum quo erant incluſae depingendarum, deſcribendarum, et metiendarum facultas daretur.

Non tamen eſt, cur dubitem, accuratam pro viribus deſcriptionem, et Eberleinii delineationem, errores, ſi qui hac de cauſa forte coorti, leuiores, ac nullius fere momenti reddidiſſe.


Cotin-





1. *Rother Cotinga. Cotinga rubra.* Phoenicercus carnifex
2. *Schillernder Cotinga. Cotinga cuprea.* " "nigricollis" ?

C. E. Eberlein fec.



Cotinga rubra.*

Cotingae rubrae tres icones exſtant, ante meam ſecundum naturam confectae, adeo autem inter ſe diſſimiles, vt non niſi aegre eiusdem auis eſſe concedas. Maxime omnium a naturae ſimilitudine SEBAE delineatio recedit, quae, an Cotingam noſtram rubram exhibeat, merito dubito. Paſſeris nempe magnitudinem non excedit, colore eſt obſcure rubro, capite ex auro ſplendente, pedibus, roſtroque coccineis, quare, licet concedam aureum illum capitis ſplendorem vel

* Coyoltototl. FERNANDEZ *hiſtor. anim. Nov. Hiſpan. pag.* 44.

Auicula de Pipitzon dicta? SEBA *Theſ. I. pag.* 92 *tab.* 57 *fig.* 4.

Fringillae adfinis? MOEHRING *Gen. av. pag.* 79.

Een Vogel die naaſt aan den Fink komt. MOEHRING *Geslagten der Vogelen pag.* 70.

The Red Bird from Surinam. EDWARDS *Birds I. pag.* 39 *tab.* 39.

Der ſurinamiſche Rothvogel. Garrulus ruber ſurinamenſis. SELIGM. *Voeg. I. tab.* 77 (fig. Edw.)

Turdus totus ruber. Icterus ſurinamenſis ruber KLEIN *hiſt. av. pag.* 68.

Rother Wittewall. Icterus ruber. KLEIN *hiſt. der Vögel pag.* 67.

Die rothe ſurinamiſche Droſſel. HALLE *Nat. Geſch. II. pag.* 293.

Cotinga anterius ſordide rubra, poſterius coccinea, vertice coccineo, remigibus obſcure rubris, ad apicem ſubnigris, rectricibus coccineis apice nigris. Cotinga rubra. — le Cotinga rouge. BRISSON *Orn. II. pag.* 351.

Lanius (Carnifex) ruber, faſcia oculari, remigum, rectricumque apicibus nigris. LINN. *Syſt. nat. edit.* 10. *I. pag.* 94.

Beul. HOUTTUYN *Nat. Hiſt. I. Deel.* 4. *St. p.* 219.

Ampelis (Carnifex) ruber, faſcia oculari, remigum rectricum apicibus nigris. LINN. *Syſtem. nat. edit.* 12. *I. pag.* 298.

Der Mörder. MÜLLERS LINN. *Nat. Syſt. II. pag.* 542.

Velia roſſa del Surinam. Lanius ruber ſurinamenſis. La Pie-grieſche rouge de Surinam. *Recueil de* 130 *Oiſ. tab.* 83. (fig. Edwardi.)

Velia roſſa del Surinam. Lanius ruber Surinamenſis GERINI *Orn. I. pag.* 74 *tab.* 58 *fig.* 2. (fig. Edwardi.)

Cotinga roſſa. Cotinga rubra Briſſ. GERINI *Orn. III. pag.* 57.

Cotinga rouge de Cayenne DAUBENTON *Pl. enl. No.* 378.

L'Ouette ou Cotinga rouge de Cayenne BUFFON *hiſt. nat. des Oiſ. IV. pag.* 452.

Ampelis Carnifex L. Cotinga rubra Br. der rothe Seidenſchwanz. BOROWSKY *Nat. Geſch. III. pag.* 173.

In Guyana lingua garipouna Arara *vel* Apira; *lingua creolica* Vette; *lingua gallica* Cardinal (*ſecundum Buffon*) *in Mexico* Coyoltotl (*ſecundum Fernandez.*)

vel varietatem nullius momenti, vel ex pictoris describentisve phantasia additum esse, pedum vero rostrique colores mire variare in hac specie, vt re vera variare videntur, (quippe in icone Edwardina rostrum obscure rubrum est, pedes aurantii coloris; in Daubentoniana illud fuscum, hi rosei, cum in eo, quo ego vsus sum, exemplari, et illud, et hi fusci essent,) magnitudine tamen figura illa a nostra nimis discrepat, quam vt Brissonio et Buffonio facile assentire, eamque Cotingae rubrae iconem putare possim. Hoc certe constat, SEBAM nostram, si exhibuerit auem, horrotinam descripsisse: at vero, quomodo illam cum avicula, a FERNANDEZ *Pipitzon* * appellata, comparare potuerit, plane non video, quippe, quam Coltotl, auiculae superne nigrae, inferne cinereae, ** adeo similem esse, refert Fernandez, vt vix alteram ab altera discernere atque separare possis, quae itaque tam a vera Cotinga rubra, quam ab avi a SEBA delineata, si forsan alia est, magnopere differt.

Aliam autem *Coyoltotol* nomine auem FERNANDEZ describit, *** huic nostrae, vt videtur, simillimam. „Auis est mediocris magnitudinis, inquit, fuscis pedibus, cruribusque, „rostro crassiusculo, fusco et breui, ac desinente in acumen, pectore ac ventre coccineis, ac „reliquo corpore subrubro atque nigrescente, nomen habet a sonitu illi sonalium simili." Quod vltimo hic loco narrat, parum quidem cum auctoritate Ill. Comitis A BUFFON congruit, vocem Cotingae rubrae sono *Vette* assimilantis; sed nihil certe quicquam magis dubium, magisque vacillans inuenitur, quam inarticulatus animalis cuiusdam sonus per literas expressus, praesertim si, quod hic factum est, in denominationem trahitur. Ipse plurimis experimentis deprehendi, in voce animantis alicuius literis imitanda, mihi subinde, quamuis non mutato aurium iudicio, tamen alia atque alia literarum elementa placuisse. In nominibus autem inde fictis, discrepantia illa multo adhuc notabilior est; quis enim hominum facile putabit, diuersa haecce nomina Pyrold, Wiedewall, Bülow et Oriolus, eidem aui a sono, quem edit, indita esse, imo priora tria ab vna eademque gente.

In decima systematis sui editione Cotingam nostram Laniorum generi inserebat LINNAEUS, satis ille quidem excusandus, quippe deceptus vitiosa EDWARDI icone, falsaque rostri delineatione, ex cuius traditione aui rostrum est illi Piprarum simile, sicuti et ipsam auem

* Auicula est, Coltotl vocatae adeo similis, vt vix alteram ab altera discernere atque separare possis, eademque fere natura, quam ob rem plura de ea dicere supersedeo. FERNANDEZ *hist. anim. Nov. Hisp. pag.* 73.

** Auicula est Coltotl, passeris nostratis magnitudine et forma: plumis inferne cinereis, superne nigris, sed per ambitum interdum nigris, interdum cinereis IDEM *l. c. pag.* 18.

*** *l. c. pag.* 44.

auem ad harum genus referre non dubitat. In hac vero Edwardi tabula non roſtri modo figura a naturae aemulatione longe recedit, imo alae quoque, caudaque male depictae ſunt; aut maxime peccatum eſt, in pennis delineandis, quod quidem in plurimis auium iconibus accidere ſolet, quod ea cura pictorum arbitrio plerumque relinquitur, qui pennarum formas plane negligentes partim nullas omnino pingunt, partim promiſcue omnes ſimili modo reddunt, partim ad inſtar ſquamarum vel tegularum eas componunt et inſtruunt.

Cotinga rubra in multis *Indiae occidentalis* partibus habitat. Et Edwardi Exemplar et meum a *Surinamo* advectum erat, Buffonii e *Guyana*, Fernandezii autem *Coyoltototl* Mexicanae erat originis. Hanc noſtram Cotingam aeque ac Pompadoram per varias Guyanae regiones migrare Ill. Buffon refert, rubram autem in interioribus huius terrae tractibus hac multo eſſe frequentiorem.

Pennae, quae verticem obtegunt, mira ſua conformatione ſolae ſufficiunt ad auem noſtram a caeteris ſui generis ſpeciebus dignoſcendam. Has in criſtae formam erigere eam poſſe Edwardus coniicit; mihi vero, vt idem credam, nec pennarum iſtarum breuitas permittit, nec forma, nimis diuerſa a pennis his, quae in aliis auibus formandis criſtis inſeruiunt; quae cauſſa ſola ſatis me auocare poſſet a coniectura ea amplectenda, etiamſi non et hoc accederet, quod pennis hiſce vertex totus ad ſupercilia vſque veſtiatur. In ſplendido illo, ſed ob innumera errata vitia, et fictas certe ſaepius, vel ad deſcriptiones confectas peſſimasque plerumque icones inutili fere opere Geriniano, huic coniecturae, quae pro re explorata venditatur, neſcio, quo auctore additum video, pennas occipitis nigricantes, baſi vero et ſubtus luteas eſſe *; quae aſſertio falſiſſima certe et a natura longe aliena eſt. —

Nec hoc tacendum, Ill. Comitem a Buffon et Edwardum perhibere, poſticas pedum partes ad exortum vſque digitorum plumulis eſſe obductas, quae quidem in eo exemplari deficiebant, vnde mea et deſcriptio et delineatio petita eſt, et cuius ſpectandi copia mihi facta eſt, in egregio auium euiſceratarum et aliena farctura repletarum apparatu, quem rerum naturalium venditor Anglicanus aliquis, nomine *Dolmer*, aeſtate a. MDCCLXXXIII Gottingam veniens, circumferebat. Facile tamen crediderim, concinnatorem, falſa elegantiae ſpecie ductum, pedes nudaſſe plumulis innatis.

DESCRI-

* Pennas in occipite ad nigrum tendentes colorem aliquando erigit, quae ſubtus et in exortu luteſcente donantur colore. Gerini *l. c. I. pag.* 74.

DESCRIPTIO COTINGAE RUBRAE.

Tab. I. Fig. 1.

Magnitudo Merulae, *corporis habitus* aliquanto gracilior, quam caeterarum huius generis ſpecierum.

Roſtrum caſtaneum, breue, emarginatum, ſubconvexum, mandibula inferiore plana. Nares ouales, apertae, in baſi roſtri.

Caput magis conuexum, quam in caeteris vertice depreſſo praeditis, pennis, acuminatis, paruis, duriuſculis, denſisque veſtitum. *Oculus* pone oris angulum. *Aures* pennis longiſſimis obtectae.

Corpus veſtiunt pennae longae, molles, acuminatae; in primis vero eae, quibus inferior corporis pars induitur, longiſſimae ſunt, radiis raris praeditae.

Alae vltra vropigium protenduntur.

Crura tenuia pennis breuibus veſtita. *Pedes* mediocres antice ſcutati. *Digitus medius* longiſſimus, *laterales* multo breuiores, poſticus breuiſſimus, ſed vngue longiſſimo praeditus. Digitus exterior cum medio ad vsque medietatem phalangis primae cohaerens. *Vngues* mediocres, acuti, ſubincurui, nigri. Pedes, digitique fuſci.

Cauda mediocris aequalis rectricibus duodecim aequalibus.

Color pennarum. Totum corpus inferius vropygium et pileus ſanguinea, rectrices ſanguineae, apice nigricantes. Genae, collum, dorſumque obſcure fuſca. Guttur fuſco purpureum. Supercilia nigra. Remiges primariae cum tectricibus ſuis et ala notha nigrae, ſecundariae cum tectricibus caſtaneae: Tectrices alae minores fulvae, margine fuſcae.

MENSURAE.

Longitudo totius auis vsque ad apicem caudae - -	8″	6‴	0⁗
Longitudo roſtri vsque ad frontem - - -	0,	5,	3
Longitudo caudae - - - -	3,	0,	0
Longitudo pedis - - - -	1,	0,	0
Longitudo digiti medii cum vngue (vnguis 2‴ 0⁗) - -	0,	9,	0

Cotin-



Cotinga cuprea.

Nouam hanc, nec ante me ab vllo hiſtoriae naturalis ſcriptore memoratam, Cotingae ſpeciem pariter ac rubram in nitido, multisque rarioribus auium ſpeciebus referto theſauro Dolmeriano inueni, in quem ex *Surinamo* allata erat. Primo auis huius aſpectu mox adeo ad praecedentis ſimilitudinem, magnitudine, coloribus, forma, totoque corporis habitu accedentem animadvertes, vt facile eam vel eiusdem ſpeciei varietatem, vel ſexu tantum diuerſam credere potueris. Quo quidem ipſe errore deceptus, in programmate figurae ſpeciminis loco aeri inciſae, addito, hanc illius ſine dubio feminam eſſe, demonſtrare tentaui. Sed, non obſtante tam conſpicua vtriusque auis ſimilitudine patriaque communi, diuerſam ſane a praecedente ſpeciem ſatis ſuperque arguunt pennarum verticalium forma, oculorum ſitus, alae longiores, caudaque rotundata; ita vt ſine vlla haeſitatione ſpeciem hanc nouam, et a congeneribus plane diuerſam praedicare audeam.

DESCRIPTIO
COTINGAE CUPREAE.

Tab. I. Fig. 2.

Magnitudo praecedentis, *habitus* congenerum.

Roſtri forma ac color vt in rubra.

Caput mediocre, depreſſum. Genae pennis criſpis, aures longiſſimis et amplis obtectae. Caput et collum veſtiunt pennae minores, denſiores, durioresque, quam reliquae.

Corpus, vt in omnibus huius generis, graue, informe, pectore prominente. Pennae dorſales longitudine mediocres, durae, radiis rudibus praeditae, ea vero, quibus corpus inferius indutum eſt, longiſſimae, molles, et raris amplisque radiis inſtructae ſunt.

Alae paullum vltra quartam longitudinis caudae partem extenduntur.

Cauda rotundata, rectricibus duodecim rotundis duriuſculis.

Cotinga cuprea.

Pedes breues, ſcutis tecti, fuſci. *Digitus* medius longitudine pedis, *laterales* et *poſticus* paullo breuiores. *Vngues* nigri.

Color pennarum. Pileus ruber, genae aurantiae, collum et dorſum oliuacea, pennarum apicibus colore aurantio vel cupri quodam ſplendore inſtructis: Pectus et venter ſanguinei, cauda ſanguinea, rectricum marginibus pro varia ad lucem conuerſione viridem colorem referentibus, et ipſo ſanguineo colore rubrum reflectente.

MENSURAE.

Longitudo totius auis - - - -	8″	6‴	0⁗
Longitudo roſtri vsque ad frontem - - -	0,	5,	5
Ab oris angulo ad angulum oculi - - -	0,	4,	0
Longitudo caudae - - - -	2,	10,	0
Longitudo pedis - - - -	1,	0,	0
Digitus medius (vnguis 2‴ 0⁗) - - -	0,	10,	0

Gracu-





Gracula nobilis Edle Atzel



Gracula nobilis.

Auis, ad cuius hiſtoriam ac deſcriptionem parandam me accingo, Graculae longiroſtrae ab Ill. PALLAS deſcriptae * adeo adfinis, forma, partium proportione, omnibusque characteribus diagnoſticis adeo ſimilis eſt, vt nullum cuiquam dubium oriri poſſe exiſtimem, ambas ad vnum idemque genus pertinere. Differt quidem longiroſtra illa vibriſſis in oris angulo ſitis a noſtra, cui deficiunt; diſcrimen autem hocce non tanti momenti mihi videtur, vt inde iuſta alterutram ab altera ſeparandi cauſſa petenda ſit, nec illud ad genera diſcernenda ſufficere puto, quippe vibriſſarum harum vſus adhuc ignoratur, neque illae in vitae genere, victu, moribusque auium immutandis quicquam valere credibile eſt, quare mihi non niſi pro characteribus ſpecificis adhibendae eſſe videntur.

PALLAS longiroſtram ſuam Graculam *Graculis* illis innumerat, quibus *caluae religioſae*que nomen LINNAEUS impoſuit, et quae ab aliis *minores* appellantur, a quibus tamen corporis habitu, roſtri forma, partiumque ſtructura et proportione aperte ſatis differunt; ne dicam, genus hocce ab Illuſtr. Equite conditum ad ea pertinere ſyſtematis ſui genera, quae maxime a natura aliena videantur; quippe quod ex ſpeciebus conſtet, in characteribus nequidem artificialibus ſibi ſimilibus, multoque minus in maioris momenti proprietatibus, moribus, nutritione, ſtructura corporis conuenientibus.

Si autem longiroſtram illam, nobilemque noſtram Graculam cum aliorum generum auibus comparamus, apparet, illas, vti PALLAS iamiam obſeruauit, multis modis ad *Certhias Meropes*que accedere; vlterius autem examinanti plures, quibus ab illis diſtinguuntur, differentiae non latebunt: Non idem ſi cum illis contuleris, quas BRISSONIUS *Icteros*, PALLAS autem *Xanthornos* appellat: Roſtri formam eandem, eandem narium, magna ſquama obtectarum, et a fronte remotarum figuram, linguam pariter profunde bifidam, pedes robuſtos ſcutis parte antica obtectos, quae tamen in exterioribus pedum partibus euaneſcunt, vnguem poſticum fortem magnumque, caudam longam, eandem alarum proportionem, tantam denique partium externarum omnium ſimilitudinem deprehendes, vnde non ſine cauſſa colligas, ſimilem etiam eſſe partium internarum ſtructuram, ſimile vitae genus, mores inſitos ſimiles, paſtum item ſimilem. Haec tamen comparatio non eſt inſtituenda ad ductum notarum genericarum a Cl. PALLAS aliisque ſyſtematum conditoribus editarum, ſed natura ipſa in ſubſidium vocanda, quando quidem haud

* *Spicil. zool. Faſc. VII. pag. 5.*

haud pauci characteres specifici pro genericis venditantur, praesertim corneus ille angulus, a rostro in frontem excurrens, reuera in duabus tantum tribusue speciebus obuius.

Cum hocce genus e variis Graculae LINNAEI et Orioli speciebus constet, quibus singulis neque *Xanthorni Icteri*que nomen, neque germanicum *Gelbvogel*, quo Cl. PALLAS vsus est, conuenit, *Graculae* illi nomen imposui, Linneanum genus in bina genera diuidens, quorum alteri *Minois* appellationem melius conuenire credo. Ad quod Graculae genus, quamuis nobilis nostra et longirostra PALLASII pertineant, nihilominus ambae a congeneribus discernuntur, rostro pedibusque longioribus et statura graciliore, qua de caussa separatae familiae loco habere eas non incongruum videtur.

Gracula nobilis, quae primum ex nouissimo circa orbem terrarum itinere, COOKII funere insigni, innotuit, et in Europam aduecta est, patriam agnoscit *insulas sanduicenses*. Exemplar eius vna cum copioso et eximio rerum arte factarum ex noua Seelandia allatarum apparatu Regis Magnae Britanniae munificentia museo Gottingensi proprium esse voluit. Pennas eius imprimis paucas illas flauas subaxillares harum insularum incolae tam vestimentis, quam cassidibus illis adornandis adhibent, quibus idolorum suorum capita integunt: Quae capitum insignia e pennis Mellisugae coccineae confecta, vt augustiori specie oculos feriant, pennis illis flauis limbi aurei loco adornantur. Caeterum ex parua exuuiarum graculae nobilis copia in Europam hucusque translatarum, earum autem multitudine, quae de Mellisuga coccinea obuiae sunt, de maiori minoriue vtriusque auis frequentia existimanti, facile verisimile fieri possit, illarum aliquanto minorem, quam harum numerum in illis insulis inueniri, cui cum paucitas flauarum pennarum accedat, in singula aue obuiarum, merito hasce in maiori pretio apud insulanos istos esse, quam rubras, aestimandum est.

DESCRIPTIO
GRACULAE NOBILIS.

Tabula secunda.

Moles Sturni.

Rostrum capite longius, conico elongatum, acuminatum, vtrinque carinatum, subincuruum, nigrum. *Nares* peruiae (nisi hoc forte vitium sit exemplaris, quod ante oculos habeo) a fronte remotiusculae, squama ad frontem excurrente, et naribus formam lunatam praebente obtectae.

Caput

Caput paruum. Superne pennis paruis, duriusculis, acuminatis, squamaeformibus, subtus pennis in apice criniformibus vestitum. *Oculi* magni, medii.

Collum longum. *Corpus* gracile. Pennae flauae subaxillares et hypochondriacae longae, criniformes, quod propinquam cum Paradiseis cognationem indicare videtur.

Alae mediocres ad mediam caudam procurrentes.

Crura breuia. *Pedes* multo longiores, quam in caeteris huius generis auibus, scutati, nigri. *Digiti* longi, *posticus* fere eadem, qua medius, longitudine; *laterales* vero multo breviores. *Vngues* magni, acuminati, posticus longissimus.

Cauda longa, sed in eo exemplari, cuius describendi copia mihi facta est, septem tantum rectricibus constabat, et omnino haud obscura damni illati praebebat indicia. Decem ad minimum rectricibus eam instructam fuisse apparebat, vix autem dubito, quin duodecim continuerit, licet duas pennas illas, quae ab vtroque latere excidisse verisimile est, caeterarum numero addere ausus non fuerim. Earum, quae aderant, intermediae rotundatae erant, exterae acuminatae, nec facile distinguendus harum ad illas transitus. Cauda cuneata, adeo vt rectrices exterae ad dimidiam tantum mediarum longitudinem porrigantur.

Color pennarum ater exceptis pennis quibusdam subaxillaribus et crisso flauis. Rectrices 1, 1 et 2, 2, albae in basi interius nigrae, exterius flauae, scapo nigro, et in apice linea nigrae praeditae.

MENSURAE

Longitudo ab apice rostri ad caudam extremam			$8''$	$0'''$	$0''''$
Longitudo rostri ad frontem			1,	1,	5
Longitudo eiusdem ad oris angulum			1,	2,	0
Longitudo caudae			3,	11,	0
Longitudo pedis			1,	4,	5
Longitudo digiti medii (vnguis	$3'''$	$2''''$)	0,	9,	5
Longitudo digiti interni (vnguis	3,	4)	0,	8,	0
Longitudo digiti externi (vnguis	3,	1)	0,	9,	0
Longitudo digiti postici (vnguis	4,	0)	0,	9,	2

Gracula chryſoptera.

Graculae breuiroſtres multis, vt videtur, modis pro diuerſa colorum diſtributione variant, vnde Cl. Brisson, quem ſaepe colorum ductus, leuiter variantes, ad nouas ſpecies introducendas adducere ſolebant, numerum earum, meo quidem iudicio, citra neceſſitatem, nimio plus auxit; ideoque, cum ſaepius in eundem incidat errorem, in hiſtoria auium multarum confuſionum auctor eſt Linnaeus minus ſeuerus in conſtituendis animantium, quam plantarum ſpeciebus, Briſſonii veſtigia, plerumque ſine vlteriori in aues ipſas inſtituta diſquiſitione, preſſit. In contrariam autem partem haud raro peccat Ill. Comes a Buffon, animalia notis multum diuerſis diſtincta ad vnam eandemque ſpeciem reuocans: cuius rei exemplum exſtat in Gracula chryſoptera, quam, neſcio, qua cauſſa commotus, feminam eſſe ſtatuit Graculae Xanthorni (Orioli Xanthorni Linn.) *, cum tamen ambae non tantum coloribus, ſed etiam partium dimenſionibus ac proportione, et ipſa magnitudine aperte ſatis a ſe inuicem diſtinguantur. Nimirum Graculae Xanthorno alae multo ſunt breuiores, et roſtrum breuius, pedes vero pro corporis mole longiores, quam chryſopterae, quae omnia differentiam quamdam ſpecificam aperte ſatis arguunt.

Melioribus et certioribus rationibus niſus Ill. Buffon varietates huius, falſo creditae, feminae recenſuit, qua quidem in re non poſſum, quin plane illi aſſentior, cum eae omnes magnitudine, forma, partiumque proportione ne tantillum quidem diſtent, licet color non omnibus omnino ſit idem.

Primae varietatis eſt *Gracula chryſoptera chryſocephala* ** cuius iconem in tabula tertia exhibendam curaui, eo quod in delineatione Briſſoniana, qua ſola hucusque erat vtendum, colores deſiderantur. Solo capitis colore luteo haec a caeteris differt, vnde marem coniicio.

Secundam

* *Vtramque coniunxit nomine* le petit Cul-jaune de Cayenne. *Hiſt. nat. des Oiſ. III. pag.* 247 der kleine kayenniſche gelbe Carouge. *Leipz. Ueberſ. XI. Band* 1. *pag.* 181. *Berl. Ueberſ. VIII. p.* 158.

** Icterus ſplendide niger, capite ſuperiore, tectricibus alarum, et caudae minoribus, infimisque cruribus luteis, remigibus rectricibusque nigricantibus. Xanthornus icterocephalus americanus — Le Carouge à tête jaune d'Amerique. Brisson *Orn. ſuppl. pag.* 30 *tab.* 2 *fig.* 2.

Oriolus (chryſocephalus) niger, pileo tectricibus alarum caudaeque luteis. Linn. *Nat. Syſt. edit.* 12. *I. pag.* 164.

Amerikaniſche Golddroſſel. Müllers Linn. *Nat. Syſtem. II. pag.* 191.

Buffon *hiſtoir. natur. des Oiſ. III. pag.* 248. *Berl. Ueberſ. VIII. p.* 153. — *Leipz. Ueberſ. XI.* 1. *Band pag.* 182.

Xanthornus icterocephalus americanus Briſſ. die gelbköpfige Droſſel aus Amerika. *Onomat. h. n. compl. VII. pag.* 863.



Gracula chrysoptera. Gelbschultrige Atzel.

Secundam varietatem conſtituit *Gracula chryſoptera Dominicenſis*,* ea ipſa, quam Graculae Xanthorni feminam eſſe Buffonius putat, nec niſi capite ſimiliter ac reliquum corpus nigro, ventre autem fere toto luteo a priori diuerſa.

Varietas denique tertia, *Gracula chryſoptera Cayanenſis*, ** cui, vt Dominicenſi, caput eſt nigrum, ab vtraque differt vropygio nigro, tectricibus vero alarum ſecundi ordinis luteis. In icone Edwardina maxilla ſuperior prope baſin eſt depreſſior, quod mihi tamen indicio eſſe videtur, exemplar, quo ille vſus eſt, damni aliquid paſſum eſſe.

Varietates hae omnes, hactenus recenſitae, in diuerſis *Americae auſtralis* partibus naſcuntur, tertia autem Brissonio et *patre* Feuillée auctoribus etiam *St. Thomae* inſulam incolit.

Buffonius de vitae genere ac moribus auiculae, quam *Cul-Jaune de Cayenne* vocat, et quo nomine tam Graculam Xanthornum, quam chryſopteram comprehendit, haec refert: *** „Ils ont un jargon à peu près ſemblable à celui de notre l'oriot, et pénétrant „comme celui de la pie. Ils ſuſpendent leurs nids en forme des bourſes à l'extrémité des „petites branches, comme les troupiales; mais on m'aſſure que c'eſt aux branches „longues et dépourvues de rameaux des arbres, qui ont la tête malfaite, et qui ſont „penchés ſur une riviére: on ajoute que dans chacun de ces nids il y a de petites ſéparations „où

* Icterus niger; tectricibus alarum minoribus, et imo corpore luteis. Xanthornus dominicenſis — Le carouge de St. Domingue. Briss. *Orn. II. pag.* 121 *tab.* 12 *fig.* 3.
Oriolus (dominicenſis) niger, corpore poſtico tectricibus alarum, maculaque luteis. Linn. *Syſt. nat. edit.* 12. *I. pag.* 163.
Domingo Droſſel. Müllers *Linn. Nat. Syſt. II. pag.* 190. Le carouge de St. Domingue Daub. *Pl. enl. No.* 5 *fig.* 2.
Buffon *hiſt. nat. des Oiſ. III. pag.* 247 — *Berl. Ueberſ. VIII. p.* 158 (cum fig. Daubentoniana) — *Leipz. Ueberſ. XI. Band* 1. *p.* 181.
Xanthornus dominicenſis Briſſ. Die Amſel von St. Domingo. *Onomat. h. n. compl. IV. p.* 517. *Galli in dominicenſi inſula teſte Briſſonio* Demoiſelle *vocant.*
** Autre eſpece de Merle beaucoup plus petite. Feuillée *Journ. des obſerv.* 1725 *p.* 126.
The Yellow-Winged Pye. Edward *Glean. III. pag.* 239 *tab.* 322.
Die Aelſter mit gelben Flügeln. Seligm. *ausl. Voegel V. tab.* 12 (fig. Edwardi.)
Icterus niger, tectricibus alarum minoribus luteis Xanthornus Cayanenſis — Le carouge de Cayenne Briss. *Orn. II. pag.* 123 *tab.* 9 *fig.* 2.
Oriolus (Cayanenſis) niger, macula alarum lutea Linn. *Syſt. nat. edit.* 12 *I. pag.* 163.
Gelbflügel. Müllers *Linn. Nat. Syſt. II. p.* 190.
Carouge de Cayenne Daub. *Pl. enl. No.* 535 *fig.* 2.
Buffon *hiſt. natur. des Oiſ. III. pag.* 248. — *Berl. Ueberſ. VIII. pag.* 156 (cum fig. Daubent. — *Leipz. Ueberſ. XI. Band I. pag.* 182.
Xanthornus cayanenſis Briſſ. Die Amſel von St. Thomas. *Onomat. h. n. Compl. IV. pag.* 517.
*** Buffon *l. c. pag.* 247.

„où ſont autant de nichées, ce qui n'a point été obſervé dans les nids des troupiales." Quae BUFFONII verba cum generaliter dicta ſint, in ambiguo relinquitur, deſcriptarum modo ſpecierum vtra ſit, de qua ille haec acceperit. Quia autem ex ambarum figura et habitu, perquam ſimili, colligere par eſt, nec ingenio, nec moribus eas inter ſe admodum differre, videntur mihi ea, quae hic a Buffonio relata ſunt, certe maxima ex parte in vtramque quadrare.

Denique et hoc monendum; varietatis dominicenſis et cayanenſis icones, tam Daubentonianas, quam Briſſonianas ad eadem exemplaria Martineti opera et delineatas, et aeri inciſas cum Briſſonii deſcriptionibus ac dimenſionibus in primis ad caudam, quod attinet, parum congruere, ita vt in his nulla certa inſit auctoritas. Figura vero varietatis chryſocephalae, quam ſolus Briſſonius exhibuit, ſatis eſt accurata. —

DESCRIPTIO
VARIETATIS CHRYSOCEPHALAE, GRACULAE CHRYSOPTERAE.

Tabula tertia.

Magnitudo Alaudae, *ſtatura* Sturni.

Roſtrum longitudine capitis, conico elongatum, acutum, integrum, nigrum. *Nares* in baſi eius, ſquama tectae.

Caput mediocre, *oculi* medii, *aures* pennis longis tectae.

Alarum remiges ſedecim, quarum octo primores, totidemque ſecundariae, omnes rotundatae. Secundae, quae eſt omnium longiſſima, apex mediam caudam attingit.

Crura breuia. *Pedes* breues, interno tantum latere ſcutati. *Digiti* mediocres, quorum exterior cum medio ad dimidiam vsque primae phalangis longitudinem coniunctus eſt. *Medius* longiſſimus eſt. *Laterales* multo breuiores. *Poſticus* minimus, ſed vngue longiſſimo praeditus.

Vngues

Vngues fortes, incurui. Pedes, digiti et vngues fufco-nigricantes. *Cauda* perlonga, cuneata. Rectrices duodecim fubacuminatae.

Color pennarum ater. Remiges rectricesque ex atro-fufcae. Vertex, occiput, vropygium, criffum et crura lutea, tectrices alarum inferiores fulphureae.

MENSURAE.

Longitudo ab apice roftri ad vropygium - -	4″ 4‴	0⁗
Longitudo ad caudam extremam - - -	8, 3,	0
Longitudo roftri ad frontem - - -	0, 9,	3
Longitudo roftri ad oris angulum - - -	0, 11,	0
Longitudo pedis - - - -	0, 11,	0
Longitudo digiti medii (vnguis 3‴ 1⁗) -	0, 11,	2
Longitudo digitorum lateralium (vnguis 2, 7) - -	0, 6,	6
Longitudo digiti poftici (vnguis 4, 0) -	0, 10,	1
Longit. caudae ad apicem rectricum (6, 6) - - -	3, 9,	0
Longit. eiusd. ad apicem rectricum (1, 1) - - -	2, 8,	4
Interftitium apicum alarum extenfarum - -	11, 1,	0

 Melli-



Mellisuga coccinea.*

Genuit hanc Mellisugae speciem insula *O-Waihi*, caede longe clarissimi circa orbem nauigatoris famosa, ibique frequentissime inuenitur, cuius laqueis captae, pennis, pulcerrimo rubore insignibus, insulani ad vestimenta ornanda, ad cassides, pallia, caet. conficienda vtuntur.** Magnam harum auium copiam in Europam translatam esse inde apparet, quod FORSTERUS *iunior*, qui primam earum edidit descriptionem, quatuor ante oculos habuit, meam autem tria exemplaria adiuuerunt, quorum vnum, cum insigni ex pennis huius auis coccineis affabre confectarum rerum apparatu Goettingae in Museo rerum naturalium regio asseruatur, in quod nomine *Red Humming-Bird* missum est, caetera duo in collectione Dolmeri saepius nominati prostabant. Pennas harum auium Tahitinae reliquarumque socialium insularum incolae pretiosissimis rebus adnumerant, tantique faciunt, vt vel vnicae earum pretium statuant integrae suis.

Cl. FORSTERUS rostri huius auis formam, quippe quod margine superiore non carinatum sit, sed conuexum, quandam cum Paradiseis similitudinem indicare putat, quae tamen assimilatio longius mihi repetita videtur, quandoquidem vere affirmare possim, me conuexam hanc rostri superiorem paginam in pluribus, imo plerisque huius generis auibus, quas videre licuit, deprehendisse. Rectius vero ab illis sui generis dignoscitur pedibus proportione longioribus, quorum mira breuitate caeterae Mellisugae omnes ad similitudinem Trochilorum propius accedunt.

Florum autem nectare pasci hanc auiculam, quae eiusdem Viri Cl. est coniectura, plane credo. Docet hoc tota rostri conformatio, quae a Certhiarum rostris longe est diuersa, quarum insuper cum Mellisugis similitudo omnino tantilla est, vt satis mirari nequeam, Ornithologos hactenus omnes vtrasque vno eodemque genere comprehendisse.

DESCRI-

* Carmosinrother Baumläufer (Certhia coccinea) G. FORST. *Goetting. Magaz.* 1780. *Stück IV. pag.* 347.
Certhia (coccinea) rectricibus remigibusque nigris, reliquo corpore coccineo. BLUMENB. *Handb. der Nat. Gesch.* 2. *Aufl. pag.* 190.

** ZIMMERMANNS *Reise um die Welt. pag.* 79.



Mellisuga coccinea. Carmosinrother Honigsauger



DESCRIPTIO
MELLISUGAE COCCINEAE.

Tabula quarta.

Maxima congenerum, magnitudine Paſſeris.

Roſtrum capite multo longius, incuruum, compreſſum, ſuperne carinatum, maxilla inferiore, vt in Trochilis, vaginante inferiorem, in apice tubulatum, albeſcens. *Nares* minimae, in ſquama fornicata ſitae, qua obteguntur.

Caput paruum, depreſſum pennis minimis, duriuſculis tectum. *Gula* pennis longioribus, quam reliquae, denſioribusque, *corpus* vero totum pennis mollibus veſtitur.

Alarum ad dimidiam caudae longitudinem pertingentium remiges numerantur ſedecim, quarum ſecunda longiſſima, octo vero primi, totidemque ſecundi ſunt ordinis.

Cauda breuis: rectrices duodecim, duriuſculae, acuminatae. *Pedes* mediocres, ſed reſpectu congenerum longi, ſcutis tecti. *Digiti* mediocres, medius lateralibus paullo eſt longior, et cum externo baſi concretus. Poſticus omnium breuiſſimus. Pedes, digiti, vngues albicant.

Color pennarum coccineus, rectrices vero, remigesque nigrae, alarum tectrices maiores pariter nigrae ſunt, margine vero coccineo praeditae. Remix decima quinta latere interno, decima ſexta tota alba. Alae margo, et baſis pennarum gutturalium albent. In exemplari, vnde imago noſtra petita eſt, vertex et humeri aurantii erant coloris, cum et ille et hi in exemplari Muſei Goettingenſis rubeſcant: quod exemplar, cum ſit coloribus omnino ſaturatioribus, et minori ſtatura, pullum eſſe ſuſpicor.

MENSURAE.

Longitudo totius auis - - - -	5″	10‴	5⁗
Longitudo roſtri ad frontem - - -	0,	11,	8
Longitudo pedis - - - -	1,	0,	0
Longitudo digiti medii (vnguis 2‴ 2⁗) - -	0,	8,	0
Longitudo digiti poſtici (vnguis 2, 5). - -	0,	6,	0
Longitudo caudae - - - -	1,	8,	0

Merops

Merops Spiza.*

Auem hanc ab omnibus rerum naturalium curioſis perperam deſcriptam, alieno generi contributam, nec a quoquam bene delineatam, deprehendo. Edwards *Muſcicapam* vocat. Moehringius illi pariter commune aliquod cum quibusdam aliis, de quibus dubito, ſatisne ad eius ſimilitudinem accedant, illudque nouum et peculiare aſſignat genus, cui *Colii* nomen imponit.** Klein *Syluiis* eam annumerat, quia corporis habitum Rubeculae ſimilem Edwardus dicit.*** Linnaeus incertus, quo eam referat, decima ſyſtematis ſui editione inter *Currucas* et *Motacillas* poſuit, in duodecima autem Brissonium ſecutus, in Certhiis recenſet: cui et Ill. Buffon aſſentit. Certiſſimum tamen eſt, eam ad nullum horum generum referendam eſſe, ſed re vera ad *Meropes* pertinere, cum quibus in characteribus diagnoſticis omnibus, ſcilicet roſtri figura, narium et forma et ſitu, totaque corporis ſtructura accuratiſſime conuenit. Linnaeus facile in errorem hunc incidere poterat, quippe cui auis ipſa non niſi ex icone Edwardina cognita erat, in qua roſtri figura vitioſiſſime expreſſa eſt; ſed vix comprehendere poſſum, quo modo Brissonius et Buffonius alieno illam generi inſerere potuerint, quibus tamen plures huius ſpeciei varietates noſcere et examinare contigerat. Paene dixerim, omnes huius auiculae delineatores conſpiraſſe inter ſe, vt capiti roſtrum Melliſugae iungerent, vt vibriſſas in baſi eius omitterent, et narium figuram praue effingerent; omnes autem hiſtoriae naturalis ſcriptores ipſius auis contemplationem omiſiſſe, et vitioſis iſtis imaginibus fidentes, iisque deceptos a vera via in genere conſtituendo aberraſſe. Icon, quam Seba exhibuit, caeteris omnibus, quod mireris, accuratior eſt; Edwardina autem effigies, quod magis adhuc mirandum, omnium eſt peſſima.

Variae, quoad roſtri pennarumque colores, huius ſpeciei exſtant varietates, maioris minorisue momenti, quarum eas, quae notatu digniſſimae videntur, recenſebo. Monendum autem

harum

* Motacilla (Spiza) viridis, remigibus primoribus nigricantibus. Linn. *Syſt. nat. ed.* 10. *I. pag.* 188.
Groene Fliegenfanger. Houttuyn *Nat. Hiſt. Deel. I. Stück V. pag.* 584.
Certhia (Spiza) viridis, capite remigibusque nigricantibus. Linn. *Syſt. nat. ed.* 12. *I. pag* 186.
Le Guit-Guit vert et bleu à tête noire. Buffon *hiſt. nat. des Oiſ. V. pag.* 534.

** *Genera av. pag.* 36 *No.* 16.

*** *Birds I. pag.* 25 for Shape of body he is like a Robin Red-Breaſt.

Taf. V.



Merops Spiza. Hochbeinichter Bienenfresser



harum eam, quam quarto loco posui, me non nisi Ill. BUFFONII fide fretum inter eas recepisse, licet firmiter apud me constet consilium,

Nullius addicti iurare in verba magistri.

Nam icones eius in consilium vocans, cum ipsam auiculam videre nondum contigit, non specie tantum, imo genere, a Merope nostra differre, vereque ad Mellisugas pertinere videbatur; cum autem experientia docuerit, quam parum fidei iconibus istis habenda sit, fas esse puto, donec autopsia contrarium docuerit, Buffonio, cui eam cum prima tertiaque comparare licuit, credere, non maius discrimen hanc inter caeterasque interesse, quam quod varietates distinguat.

Prima varietas * quam hic describemus, et cuius iconem tabula quinta exprimendam curauimus, est pileo et maxilla superiore nigris, remigibus rectricibusque item nigris, marginibus tamen viridibus, et inferiore maxilla alba.

Secunda varietas ** a priori, cui caeterum per omnia est similis, tantum modo differt gutture pariter ac caput nigro, rostro toto albo, pectore et abdomine viridi-cyaneis.

Tertia varietas *** notabilis est capite et tectricibus alarum cyaneis, pedibus flauis. Pro femina forsan vel pullo masculo habenda. In Edwardina icone maxilla superior alba est, inferior nigra, in Daubentoniana rostrum totum nigrum, lora alba.

Quarta

* The green black-cap Fly-catcher. EDW. *Birds I. tab.* 25 *pag.* 25.
Der grüne Fliegenschnapper mit dem schwarzen Kopf. SELIGM. *ausl. Vögel. I. tab.* 49 (fig. Edward.)
Syluia viridis, capite nigro. KLEIN *Hist. av. p.* 80.
Grüner Wenzel mit schwarzem Kopfe. KLEIN *Hist. der Vögel. pag.* 81.
Der blaugrüne Mönch. HALLE *Nat. Gesch. II. p.* 341.
Certhia splendide viridis, capite splendide nigro, rectricibus lateralibus nigricantibus, oris exterioribus viridibus. Certhia Brasiliensis viridis atricapilla. — Le Grimpereau verd à tête noir du Bresil. BRISS. *Orn. III. pag.* 633.
Cerzia verde con testa nera del Brasile. Certhia Brasiliensis viridis atricapilla Briss. GER. *Orn. II. p.* 60.
Le Guit-Guit vert à tête noire BUFFON *hist. nat. des Ois. V. pag.* 535.
Grimpereau à tête noire du Bresil. DAUB. *Pl. enl. No.* 578.

** Auicula Americana altera. SEBAE *Thes. II. p.* 5 *tab.* 3 *fig.* 4.
Syluia, Auicula Americana altera Sebae. KLEIN *hist. av. pag.* 79.
Weissschnabel. KLEIN *Hist. der Vögel. pag.* 80.
Der grüne Fliegenstecher. HALLE *N. G. II. p.* 344.
Certhia superne splendide viridis, inferne saturate caerulea, capite et gutture splendide nigris, rectricibus saturate viridibus. Certhia Americana viridis atricapilla. Grimpereau verd à tête noire d'Amerique. BRISSON *Orn. III. pag.* 634.
Cerzia verde con capo nero d'America. Certhia Americana viridis atricapilla Briss. GER. *Orn. II. p.* 60.
Le Guit-Guit vert et bleu à tête noire BUFFON *hist. nat. des Ois. V. pag.* 534.

*** The Blue headed green Fly-Catcher EDWARD. *Birds I. pag.* 25 *tab.* 25.
Der blauköpfige grüne Fliegenschnapper. SELIGM. *ausl. Vögel. I. tab.* 49 (fig. Edw.).
Syluia viridis capite cyaneo. KLEIN *Hist. av. p.* 80.
Grüner Wenzel mit blauem Kopfe. KLEIN *Hist. der Vögel, pag.* 81.
Der grüne Mönch. HALLE *Nat. Gesch. II. p.* 342.
Certhia dilute viridis, viridi saturatiore in pectore maculata; gutture candido, capite superiore, superioribusque alarum tectricibus minimis cyaneis, rectricibus lateralibus nigricantibus, oris exterioribus dilute viridibus. Certhia Brasiliensis viridis — Le Grimpereau verd du Bresil. BRISS. *Orn. III. p.* 631.

Quarta denique *varietas* * in toto corpore eſt viridi-oliuacea, maxilla inferiore carnea. Niſi forte, quod ſuſpicari me iam ſupra dixi, ad aliud plane genus referri debet, feminam eſſe credibile eſt.

Omnes varietates hactenus enumeratae habitant in diuerſis *Indiae occientalis* regionibus, *Surinamo*, *Guyana* et *Mexico*. De moribus victuque earum nihil conſtat.

DESCRIPTIO
VARIETATIS ATRICAPILLAE MEROPIS SPIZAE.

Tabula quinta.

Congenerum minima, *magnitudine* Motacillae rubeculae.

Roſtrum capite longius, compreſſum, ſubrectum, integrum, vtrinque carinatum. Maxilla ſuperior longior inferiore, apice ſubincurua, nigra; inferior latere ſubcanaliculata, eadem, et apertura oris ex flaueſcente-alba. *Nares* in roſtri baſi, capiſtro ſemitectae. Ad baſin mandibulae ſuperioris prope oris angulum exſtant *Vibriſſae* quaedam minutae. *Caput* paruum, *collum* breue, *Corpus* gracile elongatum.

Alae complicatae ad tertiam longitudinis caudae partem pertingunt.

Pedes mediocres, ſed longiores, quam in congeneribus, ſcutis tecti, digitus medius in baſi cum externo paululum cohaeret. Digitus medius et poſticus eadem fere longitudine gaudent, exterior paullo breuior, interior omnium minimus eſt. Pedes et digiti obſcure fuſci. *Vngues* ſatis validi, ſubincurui, acuti, nigri.

Cauda breuis: Rectrices duodecim, rotundatae, quarum medii lateralibus paullo ſunt breuiores.

Color pennarum viridis, viridi aeris ſimilis, in alarum tectricibus ſaturatiſſimus, in collo magis ad flauum inclinans. Pileus, Genae et crura atra. Remiges rectricesque nigrae, viridem colorem reflectentes, margine viridi.

MENSURAE.

Longitudo totius auis vsque ad vropygium - - -	3″	3‴	0⁗
Longitudo eius ad caudam extremam - - -	4,	10,	0
Longitudo roſtri ad oris angulum - - -	0,	8,	5
Longitudo pedis - - - - -	0,	9,	0
Longitudo digiti medii (vnguis 2‴ 3⁗) - -	0,	7,	8
Longitudo caudae - - - -	1,	7,	0

Muſci-

Blaukopf. MÜLLERS *Linn. Nat. Syſt. II. p.* 257.
Cerzia verde del Braſile. Certhia Braſilienſis viridis Briſſ. GERINI *Orn. II. pag.* 60.
Le Guit-Guit vert et bleu à Gorge blanche BUFFON *hiſt. nat. des Oiſ. V. pag.* 536.
* The All-Green Creeper. EDW. *Glean. III. p.* 287 *tab.* 348 *fig.* 2.
Der ganz grüne Baumläuffer. SELIGM. *ausl. Vögel V. tab.* 38. (fig. Edwardi.)
Le Guit-Guit tout vert. BUFFON *hiſt. nat. des Oiſ. V. pag.* 537.
Grimpereau vert de Cayenne. DAUBENT. *Pl. enl. No.* 682.





Muscicapa ferruginea Rostiger Fliegenschnäpper



Muſcicapa ferruginea.

Nouam hanc Muſcicaparum ſpeciem ex *Carolina* aduectam eſſe *Dolmer* referebat, in cuius apparatu eius conſpiciendae copia mihi facta eſt, quapropter mirum mihi videri potuiſſet, quod nec CATESBEIUS, nec quiquam alius rerum naturalium ſcriptor eius mentionem faciat, niſi poſtea plures inde allatas nouas ſpecies videndi, occaſio mihi praebita fuiſſet.

Nidus, qui cum ouis impoſitis vna circumferebatur, quem tamen genuinum eſſe fidem meam non interpono, hemiſphaericus erat, introrſus graminibus, pilis equinis intertextis efful-tus et ſubſtratus, extrorſus hypno conueſtitur. In diametro tres fere pollices patebat. Ouorum figura exacte ouata erat, apice aliquanto obtuſiori, longitudo octo linearum, color ex viridi albicans, maculis ferrugineis.

DESCRIPTIO MUSCICAPAE FERRUGINEAE.

Tabula ſexta.

Magnitudo Fringillae Carduelis, Statura congenerum. Maris et feminae forma et color adeo ſimilis, vt alterius deſcriptio vtrique conueniat. —

Roſtrum paruum, latum, baſi depreſſum, nigrum, in margine autem caſtaneum. Maxilla ſuperiore ſublongiore, apice incurua, emarginata. *Nares* ouales, in roſtri baſi, prope frontem.

Caput paruum, oculi pone oris angulum. *Aures* pennis longis tectae.

Corpus gracile, pennis mollibus veſtitum.

Alae ad vropygium porriguntur.

Crura breuia. *Pedes* mediocres, digitique ſcutis tecti, fuſci. Digitus medius longiſſimus; laterales paullo breuiores, poſticus minimus.

Cauda

Cauda breuis, forma ſingulari conſpicua. Rectricum duodecim 1, 1, breuiſſima, 2, 2 et 6, 6, eiusdem longitudinis, et breuiores, quam 3, 3, 4, 4 et 5, 5 fere aequales.

Pennarum color ſuperne ex fuſco murinus, ſubtus ex flauo albus; guttur candidum, alae nigrae pennarum marginibus ferrugineis. Vropygium griſeo-fuſcum. Rectrices nigrae marginibus fuſceſcentibus, 1, 1, vero albae, ſcapo nigro praeditae. Pagina inferiore omnes rectrices cinereo imbutae erant colore.

MENSURAE.

Longitudo ad caudam extremam - - -	5″	8‴	0⁗
Longitudo ad vropygium - - -	3,	9,	8
Longitudo roſtri ad frontem - - -	0,	3,	9
Longitudo roſtri ad oris angulum - - -	0,	6,	2
Longitudo pedis - - - -	0,	10,	0
Longitudo digiti medii (vnguis 2‴ 0⁗) -	0,	7,	8
Longitudo digitorum lateralium (vnguis 1, 5) - -	0,	5,	6
Longitudo digiti poſtici (vnguis 1, 9) -	0,	5,	0
Longitudo caudae - - - -	1,	8,	0

LIPSIAE,

LITTERIS BREITKOPFIIS.

AVIVM
RARIORVM ET MINVS COGNITARVM
ICONES ET DESCRIPTIONES

COLLECTAE

E GERMANICIS LATINAE FACTAE

ET

VIRO ILLVSTRISSIMO, FRIDERICI MAGNI AMICO

DOMINO

C. A. LIBERO BARONI DE ZEDLIZ

DICATAE

A

BLASIO MERREM

PH. D. MATH. ET PHYS. IN REGIA DVISBVRGENSI ACADEMIA P. P. O.

SOC. R. SCIENT. GOTTING. LITTERAR. COMMERC. IVNCTO.

FASCICULUS SECUNDUS.

LIPSIAE

EX BIBLIOPOLIO IO. GODOFR. MÜLLERIANO

cIↃIↃCCLXXXVI.

Crura magna, fortia. *Pedes* breues cum digitis ſcutis tecti ſunt. *Digiti* ſemipalmati, medius longiſſimus, laterales paulo breuiores, poſticus omnium breuiſſimus. *Pedes* coloris ſunt ſordide rubeſcentis, niſi ille a ſole immutatus fuit. *Vnguiculae* magnae, valde incuruae, acutae, coloris cornei.

Cauda rectricum duodecim, longa, pendula, aequalis, ab aue vero irritata ſublata rotatur.

Pennarum color ater. Criſta, alarumque tectrices maiores albae, ſcapo pennarum nigro, harum quoque apicibus nigris. Alarum tectrices minores, eaeque pennae, quae iugulum veſtiunt, ex magna parte albo donantur margine.

MENSURAE.

Longitudo ab apice roſtri ad caudam extremam	1'	8''	6'''	0''''
Longitudo roſtri ad frontem	0,	0,	11,	0
Longitudo pedis	0,	2,	6,	2
Longitudo digiti medii (Vnguis 6''' 3'''')	0,	2,	3,	7
Longitudo digiti externi (Vnguis 4, 5)	0,	1,	9,	2
Longitudo digiti interni (Vnguis 6, 5)	0,	1,	9,	2
Longitudo digiti poſtici (Vnguis 5, 8)	0,	1,	2,	0
Alis expanſis	3,	1,	3,	0.

LIPSIAE,

LITTERIS BREITKOPFIIS.

ERRATA

IN FASCICULO PRIMO.

Pag. 1. lin. penult. *Coyoltotl* lege *Coyoltototl*
— 2 — 6 *Sebam nostram*, lege *Sebam, nostram*
— 12 *Coyoltotol* l. *Coyoltototl.*
— 3 — 3 *aut maxime* lege *maxime autem.*
— 5 — 20 *ea* lege *eae*
— 7 — 11 *innumerat* lege *annumerat.*



Taf. VII.



Weisköpfiger Adler.
Aquila glaucopis.



Aquila Glaucopis. *

Exemplo LINNAEI, Papilionum Phalaenarumque numerofa genera in phalanges familiasque, quarum quaeque propria denominatione gaudet, diuidentis, Auium quoque maiora genera diuidere, et familias iftas nominibus etiam certis diftinguere, iisque fpecies, ad has familias pertinentes, addito nomine triuiali, miffo autem generico, appellare, non incongruum videtur. Falconum itaque genus, fpecierum numero infigne, in duas familias diftribuendum puto, quarum alteram Aquilae, alteram Circi conftituant. Ex illis nouae cuiusdam fpeciei defcriptionem, iam olim in Mifcellaneis Zoologicis a me exhibitam, hic repetendam fumfi; cum partim icon ibi data nimis exigua, nec inde accurata fatis, partim in paucis tantum libri exemplaribus coloribus picta exftet. Omittendam autem hoc loco putaui offium, mufculorum, internarumque partium anatomen, amplamque menfurae fingularum partium recenfionem, ea tantum retinens, quae ad hiftoriam eius, et defcriptionem faciunt.

Diu dubitaui, Aquilisne an Circis inferenda fit haec auis, donec tandem pennarum crura obtegentium longitudo, pedes breues fortesque, ingens et magno vnco praeditum, bafi vero rectum aliquantum roftrum, digiti longi validique, vngues adunci valde ac robufti, fupercilia prominentia, oculi grandes, corporis ex denfis mollibusque pennis veftimentum, et fitus fedentis erectius, locum ei inter Aquilas vindicare viderentur.

Pullus adhuc e nido, a parentibus in monte Dransberg, prope Gottingam conftructo, a ruftico quodam ad me ferebatur, a quo tamen vlteriorem ipfius notitiam nullam accipere poteram. Colores, durante eo tempore, quo auem educaui, parum immutati fuerunt, nifi quod cera, prius obfcure

* Weifsköpfiger Adler. MERREM *Verm. Abhandl. aus der Thiergefch. Seite 110. Taf. 3.*

obſcure cinerea colorem flauum indueret, pennarum autem color ſaturatior fieret, quem etiam ad tempus vsque, quo deſcriptio eius et delineatio confectae ſunt, retinuit, anno tunc maior.

Allatam mox pede ligabam, ſed nullum pertinax cibum capere volebat, donec vinculis liberatam in exiguo quodam hypocauſto circumuolitandi libertate donarem, tum vero maxima cum voracitate cibos abſumebat, ab eoque tempore in eadem mitiori reddenda, fruſtra laborauimus, licet ſaepius de die et a me, et ab aliis viſitaretur. Carnem amabat crudam recentemque, adeo vt quamcumque aliam, coctam aut ad putredinem iamiam inclinantem, per plures licet dies appoſitam, obſtinatum tenens ieiunium, ne attingeret quidem. Quia autem caro ei recens et ſanguinolenta non quotidie poterat apponi, interdum, ſed raro tamen, et exiguas portiunculas bibentem vidi. Adoleſcenti Monedulas duas, Sciurumque adpoſui, quos quidem, quamdiu carnis crudae copia abundaret, nulla iniuria affecit: non negauerim tamen ſtructas nonnunquam vitae illorum inſidias fuiſſe; quamuis enim nec dum agili volante remigio celeriores eſſent, interdiu tamen ſub corbe appoſita latitabant, ſub qua etiam ſciurus, ſera demum veſpera prodire auſus, nuces ſibi auellanas ſuas colligebat. Non potuit tamen poſterior hicce ſaeuitiam eius effugere, in quo necando occupatam, eo ipſo momento intrans Aquilam deprehendo, vnguesque in miſeri animalis corpus infigentem, ictuque in caput occidentem, conſpicio. Qua caede peracta, devoratum totum cum pilis oſſibusque animalculum tam bene conſumſit, vt nulla eiectarum pilarum veſtigia poſtea inuenta fuerint.

Miro quodam modo faeces, principio omnino fluidas, poſtea autem indurandas calcareasque, cauda in altum elata, per trium quatuorue pedum longitudinem, eiaculabatur.

Sonum, quem edidiſſet aquila noſtra, omnino nullum audire contigit.

DESCRIPTIO
AQVILAE GLAVCOPIDIS.

Tabula ſeptima.

Roſtrum haud longe a baſi tramite rectum, apice incuruum, vnco terminatur grandi, incuruo, acuto; fere integrum, et absque vllo denticuli veſtigio, prope ceram tamen, et ante

vncum

vncum ſubemarginatum. Mandibula inferior breuiſſima, baſi latiſſima, apice rotundata, perfecte a mandibulae ſuperioris canali includitur. Roſtrum baſi dilute cinereum, apice fuſco-nigreſcens.

Cera albo-cinerea, ſuperimbuta colore citrino pulcherrimo. *Nares* magnae, ouales, antice eleuatae. *Oris* margo et angulus cute flaua veſtiti ſunt; oris rictus et *lingua* roſea.

Lingua fere integra, apice tamen ſubbifida, et ſubcanaliculata, carnea, apice fere corneo.

Lora triangulum formant, pennis minimis et albentibus veſtitum, quibus vibriſſae quaedam nigrae incumbunt, in quibus, ne microſcopii quidem ope radii dignoſcuntur. Similes, ſed breuiores hiſce vibriſſae ſub palpebris inueniuntur.

Oculi orbiculati, *Iride* ex albo-griſea, cui colori non nihil flaui admixtum videtur. *Pupilla* maxima, orbicularis, nigra. *Supercilia* prominentia verticis figuram fere triangularem reddunt. *Palpebrae* maximae, totum oculum obtegentes, pennulis albis veſtitae.

Caput magnum, craſſumque, pennis indutum paucis, paruis, acutis, reliqui corporis pennis durioribus; quo Aquila noſtra ad barbatae aquilae Cl. Gmelini ſimilitudinem accedit.

Collum breue, forte, pennis multis denſisque veſtitum.

Alae complicatae caudae apicem attingunt. *Remiges* viginti octo, quarum prima breuis, ſecunda longior, tertia quartaque omnium longiſſimae. Quatuor hae priores remiges apice praeditae ſunt anguſto, et acuminato, in media autem earum longitudine ſubito radiorum longitudo augetur, angulo fere recto. A Remige inde quinta paullatim longitudine decreſcunt, apice fiunt rotundiore ac latiore, omnesque radii eandem ſeruant longitudinem. *Ala notha* pennis quatuor, ſubacuminatis conſtat. *Tectrices* alarum *ſuperiores* maiores ordinatae, grandiuſculae, rotundatae, molles; minores confuſae, rotundae, minimae, denſae: *inferiores* ſuperioribus maiores, confuſae, molliſſimae.

Corpus elongatum, forte, pennis magnis, mollibus, denſisque et plumis molliſſimis veſtitum.

Crura breuia, pennis acutis, molliſſimis vltra calcaneum per duorum pollicum longitudinem prominentibus denſe obtecta. *Pedes* mediocres, antice ſemilanati, poſtice nudi, et eodem modo ac anterior a pennis nuda pars, ſcutis, in latere autem, baſique digitorum ſquamis tecti. *Digiti* mediocres, ſuperne ſcutis, ſubtus cute ſcabra veſtiti. Pedes digitique flaui. *Vngues* maximi, fortes, adunci, nigri.

Cauda cuneata. *Rectrices* duodecim rotundatae. *Tectrices* caudae inferiores molliſſimae, longiſſimae.

Color pennarum. Pileus albo-flaueſcens, lineolis lunatis, fuſcis. Genae, guttur, latera (paucis maculis fuſcis in hypochondriis exceptis), venter, crura, axillae, criſſum ex flaveſcente alba. Vropygium ſordide album lineolis nigris. Dorſum et pectus obſcure fuſca. Superiores alarum tectrices fuſcae, margine fuſco. Ala notha maioresque alarum tectrices obſcure caſtaneae, margine albeſcente. Remix prima tota nigra; 2, 3, 4, 5 nigrae, in barbae autem exterioris amplificatione nigro-griſeae, 4, 5 nigro faſciatae: barbae interioris amplificatio alba. Reliquarum 6 vsque ad 16 nigrae, faſciis atris; 17 ad 28 e fuſco nigrae. In pagina inferiore priores quinque apice donantur nigreſcente, caeterum albae; Reliquae ſordide albae ſunt, faſciis nigreſcentibus. Rectrices ſuperne rufo-fuſcae, faſciis ſex nigris ſubtus ſordide albae, faſciis ſimilibus praeditae.

MENSVRAE.

Longitudo totius auis ab apice roſtri ad caudam extremam - -	1′	9″	3‴
Longitudo auis ab apice roſtri ad apicem vnguicularum - - -	1,	6,	9
Alis expanſis - - - - - -	4,	0,	0
Longitudo roſtri ad frontem - - - - -	0,	1,	7
Longitudo roſtri ad oris angulum - - - -	0,	1,	9
Longitudo alarum complicatarum - - - -	1,	3,	0
Longitudo cruris - - - - - -	0,	3,	9
Longitudo pedis - - - - - -	0,	3,	2

Longitudo

Longitudo digiti medii absque vngue - - - -	0'	1''	6'''
Vnguis (fecundum curuarturam menfi) - - -	0,	0,	11
Longitudo digiti interni - - - - -	0,	1,	0
Vnguis - - - - - -	0,	1,	$1\frac{2}{3}$
Longitudo digiti externi - - - - -	0,	1,	1
Vnguis - - - - - -	0,	0,	8
Longitudo digiti poftici - - - - -	0,	0,	$8\frac{1}{2}$
Vnguis - - - - - -	0,	1,	$2\frac{1}{2}$
Longitudo caudae - - - - - -	0,	8,	6.



Lanius Atricapillus.

De noua hacce, quantum equidem sciam, Laniorum specie, nihil amplius Lectoribus referre licet, nisi veri quandam speciem prae se ferre, ex *Surinamo* allatam esse.

DESCRIPTIO
LANII ATRICAPILLI.

Tabula Octaua.

Magnitudo Fringillae Carduelis.

Rostrum latissimum, subdepressum, maxillis longitudine fere aequalibus, superiore tamen vnculo suo paullulum super inferiorem prominente, emarginata. Oris rictus amplus. Rostrum nigrum; maxillarum marginibus membranaceis: superioris maxillae margine fusco, inferioris albido.

Nares paruae, obouatae, apertae, capistri pennis setaceis semitectae, fronti proximae.

Caput sat magnum, pennis paruis, duris densisque arcte vestitum. *Supercilia* prominentia. *Oculi* medii. *Aures* pennis longis, angustis decompositis obtectae.

Collum breue.

Corpus elongatum, forte, pennis amplis vestitum.

Alae, non omnino dimidiam caudae longitudinem attingentes, *Remigibus* constant sedecim, quarum eae, quae primi sunt ordinis, acuminatae, secundariae vero rotundatae existunt. *Alarum tectrices* magnae et amplae.

Crura longissima, robustaque. *Pedes* longi, *Digiti* mediocres, *Vnguiculae* fortissimae aduncae atque acutae. Digitorum medius longissimus, internus paullo illo, et hoc ipso adhuc breuior externus, posticus breuissimus, quamuis vngue fortissimo, maximoque praeditus. Pedes digitique scutis tecti, fusci, subtus cute aspera instructi.

Cauda



Zweifelhafter Würger.
Lanius atricapillus.



Cauda mediocris conſtans Rectricibus duodecim mollibus, rotundatis, quarum mediae binae longiſſimae, lateralium vero longitudo per interualla minuitur, adeo, vt interualla haecce creſcant, quo magis extremae cuique propius accedunt.

Color pennarum. Pileus ad nucham vsque, minoresque Alarum tectrices caeruleo-atrae, adeo tamen, vt pro diuerſa luminis reflexione viridi-atrum quoque referant colorem. Dorſum murinum, reliquum corpus canum, ſubtus vero dilutius. Criſſum ſordide album. Alae caudaque ex nigro fuſcae, marginibus remigum ſecundariarum, alarum tectricum, rectricum autem (6, 6 exceptis) apicibus albis, in 1, 1 maximis, in 5, 5 minimis. Rectricum quatuor intermediarum baſis cana, qui color in margine ad mediam vsque earum longitudinem extenditur.

MENSURAE.

Longitudo totius auis ab apice roſtri ad caudam extremam - -	5″	1‴	3⁗
Longitudo roſtri vsque ad frontem - - - -	0,	5,	6
Longitudo roſtri ad oris angulum - - - -	0,	8,	0
Longitudo alae complicatae - - - - -	2,	6,	0
Longitudo cruris - - - - - -	0,	11,	5
Longitudo pedis - - - - - -	0,	8,	3
Longitudo digiti medii absque vngue - - - -	0,	4,	3
Vnguis - - - - - -	0,	2,	0
Longitudo digiti interni - - - - -	0,	3,	8
Vnguis - - - - - -	0,	1,	7
Longitudo digiti externi - - - - -	0,	4,	0
Vnguis - - - - - -	0,	1,	8
Longitudo digiti poſtici - - - - -	0,	3,	0
Vnguis - - - - - -	0,	2,	2
Longitudo caudae - - - - - -	1,	11,	5

Trogo-

Trogonum Genus.

Auium iſtarum, quae in patria ſua *Curucui* aut *Curucuae* denominantur, genus proprium primus MOEHRING conſtituit, ſeparauitque a picis, quibus altera ex binis tribusue ſpeciebus, eo tempore notis, inſeri conſueuerat. Ab antiquioribus nempe naturae auiumque ſyſtematum conditoribus, aues iſtae, quas *Curucui* nomine MARCGRAVIUS, *Tzinitzcan* nomine FERNANDEZ deſcripſerunt inter Picos recenſebantur, quibuscum nullo modo, digitorum ſitu excepto, minime vero ipſa pedum figura, roſtri forma, corporis habitu conueniunt: Patris autem FEUILEÉ *Pſittacus flammeus* omnino negligebatur; donec MOEHRINGIUS MARCGRAVII auem *Curucui* cum alia quadam, ab eodem auctore deſcripta, aut ad hoc, aut ad Cuculi genus referenda aue, *Guira Acangatara* dicta, in nouum quoddam genus, cui *Trogoni* nomen fecit, coniungeret; * quem ſecutus BRISSON, cui, quum ex autopſia binae nouae ſpecies innotuiſſent, is quidem Guiram Acangataram ab hoc genere ſeparauit, Cuculisque inſeruit, deinde vero, characteres huius generis, ſeruato, quo vſus Moehringius, nomine latino, patrio autem *Curucui*, absque *i* finali in denominationem gallicam tracto, firmiores, accuratioresque ſtabiliuit. BRISSONII veſtigia prementes LINNAEUS, BUFFON, PENNANT, caeterique recentiores naturae hiſtoriographi, aut latino nomine *Trogon*, aut patrio *Curucui*, *Curucuae*, vel *Curucu*, aut germanico *Baumhacker* genus hocce nouum a reliquis diſtinxerunt. **

Roſtri

* *Genera auium pag. 85.* Vbi ſequentes ſtabiliuit characteres: „Roſtrum capite breuius, incur„vum ſenſim. Rectrices octo? Tibiae breues, „magnam partem plumoſae. Digiti antice bini, „totidemque poſtici.“

** Trogon. MÖHRING *av. gen. pag. 85.*

Couroucou. BRISS. *Orn. IV. pag. 162.*

LINN *ſyſt. nat. ed. 12. I. pag. 167.*

SCOPOLI *introd. pag. 479.*

LESKE *Nat. Geſch. 2 Ausg. I. Seite 292.*

CZENPINSKI *diſſ. anim. gen. pag. 105.*

ZIMMERM. *tab. affin. pag. 184.*

Baumhakker MÜLL. *Linn. Nat. Syſt. II. Seite 202.*

ERXL. *Nat. Geſch. Seite 218.*

BOROWSKY *Nat. Geſch. II. Seite 122.*

Indianiſche Baumhakker. *Onom. hiſt. nat. compl. VII. Seite 590.*

Kurukujen BRÜNN *Zool. pag. 82.*

Les Couroucous ou Couroucouais. BUFF. *hiſt. des Oiſ. VI. pag. 286.*

Curucui. PENNANTS *gen. of birds pag. 12.*



Eberlein del. Rothbauchiger Kuruku. Trogon Curucui. Lindner sc.



Roſtri forma, pedumque, totoque corporis habitu, et caudae longitudine quodammodo Pſittacis conueniunt Trogones, vnde minime mirandum, quod ſpeciem a ſe deſcriptam *Pſittaci* nomine Rev. Pater FEUILLÉE inſigniuerit. Minor multo roſtri cum Laniorum roſtris ſimilitudo eſt, licet in diuerſis eiusdem ſpeciei indiuiduis variare videatur, atque interdum, vt in noſtra aue, *tabula nona* delineata, dente verſus apicem inſtructum ſit; quae roſtri conformatio in eo quoque, quod KOELREUTER deſcripſit, exemplari locum habuiſſe videtur; cuius tamen nec quicquam excuſandus error, quo admiſſo *Lanium digitis duobus anticis totidemque poſticis* * appellandum cenſuit, quum praeter hanc vnam, vtrisque interdum communem conformationem roſtri, nihil omnino ſit alterius rei, cuius intuitu Laniis ſimiles dicendi ſint Trogones. Non autem longe a vero aberrauit EDWARDS, ſpeciem a ſe deſcriptam *Cuculum* vocans, cum toto corporis habitu, voce, victu, moribusque arcta ſane affinitas cum Cuculis huic ſit generi: quae etiam in cauſſis eſt, cur dubitem, vtrum FERNANDEZII *Tzinitzcan* ** huic generi inſeri ſatis recte poſſit; nam fructibus veſci dicitur, cum contra ea, teſte Ill. Comite A BUFFON Trogones inſectis veſcantur. In ipſa tantum auium harum patria, aut inſtituta anatomica internarum partium inſpectione certiores de hac re fieri, verosque characteres naturales huius generis potuerimus conſtituere, quibus iam ſuffecerit artificiales recenſuiſſe.

Roſtrum capite breuius, compreſſum, altum, obtuſum, plerumque denticulato - ſerratum, baſi vibriſſis inſtructum.

Caput grande.

Oculi

* *Nov. Comment. Petrop. XI. pag. 436.*

** Auis eſt parua, columbae pene par, plumis multorum colorum veſtita, quibus imagines mirae ſubtilitatis intexunt Indigenae (eius enim artis praecellentia vniuerſo orbi iam diu innotuere) et vtebantur feſtiuis diebus, in bello, templis ac publicis tripudiis; Roſtrum breue eſt, incuruum, pallidum, caput columbinum collumque; ſed quae plumis virentibus ac nitidis veſtiantur; pectus ac venter rubra ſunt, praeter eam eius partem, quae proxima eſt caudae; illa enim cyaneo, candentique promiſcue tingitur colore; cauda ſuperne virenti ac inferne nigro, alae partim albo, et partim ſubnigro, atro oculi, Iris luteo, ſed in coccineum vergente, verum crura ac pedes cinereo. Vivit in calidis iuxta Oceanum auſtralem, alitur in caveis, et veſcitur fructibus; pulcherrima auis eſt, ſi quae alia, ſed neque cantillat, neque (quod ſciam) eduli carne conſtat. FERNAND. *av. Nov. Hiſp. cap. 43. pag. 23.*

Oculi magni.

Aures tectae.

Collum breue.

Corpus elongatum, teres, pennis mollibus, amplis deciduis denfe tectum. *

Alae mediocres.

Cauda longiffima; Rectricibus duodecim mollibus, rotundatis, quarum fex vel octo mediae longitudine aequales, reliquarum gradatim longitudine decrefcentium, caudamque cuneiformem reddentium longitudinem valde fuperant.

Crura pro portione corporis minima imbecillia. *Pedes* item minimi, imbecilles, breues, aut femilanati, aut toti ad exortum vsque digitorum pennis vestiti. *Digiti* parui, quorum duo antici, totidemque poftici, et ex iis, quod in nullis aliis volatilibus, pedibus fcanforiis praeditis obferuare licet, exteriores, tam antici quam poftici, interioribus breuiores funt. *Vnguiculae* imbecilles, modice incuruae, acuminatae.

Patria Mexico, Surinamum, Guyania, Brafilia.

Habitant in fyluarum humidarum ramis inferioribus. **

Vita folitaria. ***

Volatus breuis, ex arbore in arborem. †

Victus

* BUFF. *hift. des Oif. VI. pag. 296.*

** BUFF. *loc. cit. pag. 295.*

*** BUFF. *l. c. pag. 296.*

† BUFF. *l. c. pag. 296.*

Victus: Insecta. *

Vox similis sono Urucuae, saepe repetenda, quas mas foeminaque vicissim sibi acclamant. **

Venus sine dubio monogama. Nidificant bis in anno mensibus Aprili et Augusto. *Nidum* struunt in arboribus cauis, vermiculosis, aut in defectu earum rostro sanas excauant arbores, ponuntque in iis *Oua* tria quatuorue alba, columbinis minora, a foemina sola incubanda, quo autem tempore a mare, in vicina arbore sedente, vigilias faciente atque canente nutritur. ***

Difficilis sane res videtur, rite instituta specierum huius generis definitio. Marcgrav harum vnam eandemque in locis diuersis bis describere videtur, eamque priori loco *Curucui* † nomine insignire, altero loco *absque nomine Curucui similem auem* †† dicere; cui accedit, quod Curucui suo maculam cutaceam albam, qualis in gallinis obseruatur, sub quolibet oculo tribuat, a recentiori nullo naturae scrutatore memoratam; vnde dubium sane de hac specie moueri possit, nisi magnum discrimen descriptiones intercedat, secundum viua, vel aliena farctura repleta animalium exemplaria confectas. Curucui huic Brisson Fernandezii *Tzinitzcan*, *Psittacum*que *flammeum viridem et cinereum*, *rostro serrato* Patris Feuillée comparat, sine vlteriore, nisi ex descriptionibus, harum auium cognitione. Addit hisce Edwardi *Cuculum* suum *viridem ventre flauo* illumque secutus est Linnaeus, Ill. autem Comes a Buffon *Trogonem ventre rubro* in *Tabularum pictarum 425* delineatum, quae pessima icon minime cum descriptione conueniens, eandem sane auem cum ea, quam videas in *tabula XIV. Tomi VI. Historiae Auium* repraesentare videtur, licet alterutri cum altera vix vlla in parte quaedam similitudo intercedat. Diuersarum sane specierum figuras putarem ex rostri in tabula picta mira conformatione, eiusdemque iconis cum figura a Buchoz exhibita similitudine, cum qua tamen, quoad rostrum minime conuenit, nisi rostrorum in tabulis illis Daubentonianis figurae plerumque pessime delineatae sint, Buchozii autem pigmenta nullo modo nomen mereantur picturarum naturae historiam illustrantium. Mitto itaque vtrasque, in *de Sevii* icone subsistens, quam si ei, quae in *tabula nona* huius Mantissae exstat, comparaueris, eique descriptionem Buffonii iunxeris, non erit, cur

 dubites,

* Buff. *l. c. pag. 290. 296.*

** Buff. *l. c. pag. 286. 290. 296.*

*** Buff. *l. c. pag. 289. 290.*

† *Hist. Bras. pag. 211.*

†† *Hist. Bras. pag. 219.*

dubites, et meam auem, et Ill. Comitis *Couroucou à ventre rouge* eiusdem esse speciei. Hisce autem MARCGRAVII *Curucui* adeo similis est, vt hunc quoque iis facile coniunges: Ex quo patet EDWARDI error, *Cuculum* suum *ventre flauo* MARCGRAVII *Curucui* putans, a quo, vt ex facili instituenda iconum comparatione patet, satis superque alarum breuitate, pedibusque totis lanatis differt. Patris auten FEUILLÉE *Psittacum flammeum* cum Cuculo hoc magis conuenire, ac forsan eiusdem speciei esse, magnam habet verisimilitudinem. Hoc sane ex illis, quae hic prolata sunt, facile apparet, *Trogonem Curucui* Ill. Equitis A LINNÉ duas constituere species, ad quarum alterutram MARCGRAVII *Curucui*, ad alteram vero EDWARDI *Cuculus* pertineant.

Alius nodus soluendus est. Ill. Comes A BUFFON *Cuculum* huncce EDWARDI vnius eiusdemque speciei esse putat, cum *Trogone Cayanensi viridi*, *Trogone*que *Cayanensi viridi ventre candido* BRISSONII, ab eodemque auctore iam pro mare foeminaque habitis; sed tamen diuersus ab hisce videtur esse. Rectrix namque tertia in Trogonibus Cayanensibus viridibus breuior multo est sex intermediis, ad eiusdem fere cum iis longitudinis in Cuculo EDWARDI, qui et illis omnino minor est, et alis instructus breuioribus, paullo tantum vltra vropygium porrectis, cum in reliquis mediam caudae longitudinem attingant. Quem autem proprio nomine, atque a reliquis speciebus separatum describit Ill. Comes, KOELREUTERI *Lanius* cum *Trogone* isto *Cayanensi viridi* adeo conuenit, vt nullum mihi certe supersit dubium, quo minus, ad eandem, cum eo speciem pertinere dixerim.

Notandum adhuc, *Trogonem Cayanensem cinereum* BRISSONII ab Ill. BUFFON pro varietate *Trogonis Cayanensis viridis* habitum, *Trogone* potius *ventre rubro*, vel *Cuculo* EDWARDI conuenire, ab illo autem caudae figura satis esse distinctum. Et quoque *Trogon longicaudatus Cayanensis* in *Tabula illuminata* 737 depictus longitudine caudae nimis a *Trogone ventre rubro* differt, quam, vt, Ill. Comitem secutus, huius tantum varietatem putare possem. Iisdem quoque rationibus, *Trogonem Cayanensem cauda ferruginea* in iisdem *Tabulis No. 736* depictum a *viridi* illo *Trogone* alarum breuitate nimis diuersum credo, quam vt pro varietate eius habere possem; cum potius *Cuculo* EDWARDI similis sit, eiusdem forsan foemina, vel pullus.

Hisce

Hisce ita expofitis, Trogonum fpecies, cum characteribus ex corporis conformatione depromptis, hoc modo difponendae mihi videntur:

haemorrhoidalis 1. TROGON cauda longiffima.

Couroucou gris à longue queue de Cayenne. *Planch. enl. No. 737.*

Un autre individu. BUFF. *hift. des Oif. VI. p. 288.*

Un troifieme individu. ID. *ibid.*

Der Curucui, welcher auf der Infel Dominiko unter dem Namen der Mufikant bekannt ift. BUC'HOZ. *Abbild. d. Vög. Taf. 10.* (mala)

Curucui 2. TROGON cauda longa, rectricibus octo intermediis aequalibus.

Curucui. MARCGR. *hift. nat. Braf. pag. 211.*

RAII *fyn. av. p. 45.*

JONST. *hift. av. p. 216. tab. 60.* (fig. Marcgr.)

Onomat. hift. nat. compl. III. pag. 545.

Dict. des anim. I. pag. 811.

Picis congener Curucui. WILLUGHB. *Orn. p. 96. tab. 22.* (fig. Marcgrauii)

KLEIN *av. pag. 28.*

Le Couroucou verd du Bréfil - Trogon fuperne viridi - aureus, caeruleo et cupri puri colore varians, inferne coccineus; gutture nigro; rectricibus fex intermediis dorfo concoloribus, apice nigris, tribus vtrinque extimis albis, nigro transverfim ftriatis - Trogon Brafilienfis viridis. BRISS. *Orn. IV. pag. 173.* (exceptis fynonymis quibusdam)

Curucu del Brafile. Trogon Brafilienfis viridis Briff. GERINI *Orn. II. pag. 53. tab. 187.* (mala)

Couroucou à ventre rouge de Cayenne. *Planches enl. No. 452?*

Le Couroucou à ventre rouge. BUFFON. *hift. des Oif. VI. pag. 287. tab. 14.* (bona.)

BUC'HOZ *Abbildung der Vögel. Taf. 25.* (mala.)

Der rauchfüffige amerikanifche Baumhacker. HALLE *Nat. Gefch. II. Seite 147.*

Trogon Curucui. LINN. *Onom. hift. nat. compl. VII. pag. 591.*

Trogon Curucui. Der ſchwarzkehlige Baumhacker. BOROWSKI *Naturgeſch. II. Seite 123. Taf. 76.* (fig. Marcgrauii ex arbitrio pictoris colorata.)

In Inſula Dominicenſi: Le Caleçon rouge; *in reliquis Inſulis* Dame angloiſe *dicitur teſte Buffon.*

β. *Huius an varietas, an pullus, an foemina?*

Auis MARCGR. *Hiſt. Braſ. pag. 219.*

Auis, quam auctor non nominat, ſed tantum admonet eſſe ſpeciem Curucui. JONST. *av. pag. 224.*

γ? Tzinitzcan. FERNAND. *av. Nov. Hiſp. cap. 43. pag. 23.*

Tzinitzian. WILLUGHB. *Orn. pag. 303.*
RAII. *ſyn. av. pag. 163.*
JONST. *av. pag. 184.*

ſtrigilatus 3. TROGON cauda longa, rectricibus ſex intermediis aequalibus; 3, 3 paullo breuioribus.

Le Couroucou cendré de Cayenne - Trogon ſaturate cinereus; ventre flauo aurantio, tectricibus alarum ſuperioribus nigricantibus, lineolis albis transverſim ſtriatis; rectricibus nigricantibus, tribus vtrinque extimis exterius albo transuerſim ſtriatis, apice albis - Trogon Cayanenſis cinereus. BRISS. *Orn. IV. pag. 165. tab. 16. fig. 1.*

Curucu cenerino di Cayenna. Trogon Cayanenſis cinereus Briſſ. GERINI. *Orn. II. p. 53. tab. 188.* (mala.)

Trogon (*ſtrigilatus*) cinereus, alis ſtrigis albis. LINN. *ſyſt. nat. ed. 12. I. pag. 167.*

Geſtreifter Baumhacker. MÜLL. *Linn. Nat. Syſt. II. Seite 202.*

Trogon ſtrigilatus. *Onom. hiſt. nat. compl. VII. pag. 592.*

Couroucou de la Guyane. *Pl. enl. No. 765.*
BUFF. *hiſt. des Oiſ. VI. p. 293.*

Faſciated Couroucou. *Indian. Zoology. Tab. 5.* (ſecundum PENN. *gen. of birds.*)

+ *ferrugineus* 4. TROGON alis breuibus, pedibus ſemilanatis.

Trogon Ceylonenſis Briſſ. Couroucou de Ceylon Gallis. Der Ceylonifche Baumhacker. *Onomat. hiſt. nat. compl. VII. pag. 591.*

Couroucou

Couroucou à queue rouſſe de Cayenne. *Pl. enl. No. 736.*

Buff. *hiſt. des Oiſ. VI. pag. 295.*

+ *flammeus* 5. Trogon alis breuibus, pedibus totis lanatis.

Pſittacus flammeus viridis et cinereus, roſtro ſerrato. Feuillée *Suite du Journ. des Obſerv. pag. 20.*

Green yellow-bellied Cuckow. Edw. *Glean. Tab. 331.*

Trogon (*Curucui*) viridi-aureus, ſubtus fuluus, gula nigra. Linn. *Syſt. nat. ed. 12. I. pag. 167.* (exceptis ſynonymis plerisque.)

Schwarzkehle. Trogon *Curucui.* Müll. *Linn. Nat. Syſt. II. Seite 203.*

viridis 6. Trogon cauda longa, rectricibus ſex intermediis aequalibus; 3, 3 multo breuioribus.

Trogon (*viridis*) viridi-aureus, ſubtus luteus, gula nigra. Linn. *Syſt. nat. ed. 12. I. pag. 167.*

Der grüne Baumhacker. Trogon viridis. Müll. *Linn. Nat. Syſt. II. Seite 203.*

Trogon viridis. Der grüne Baumhacker. Borowski *Nat. Geſch. II. Seite 123.*

Trogon viridis. *Onomat. hiſt. nat. compl. VII. pag. 593.*

Maris ſynonyma.

Lanius capite, collo, pectoreque e violaceo nigricantibus, digitis duobus anticis totidemque poſticis. Kölreuter. *Nov. Comment. Petrop. XI. pag. 436. Tab. 16. fig. 8.*

Le Couroucou verd de Cayenne. Trogon ſuperne viridi aureus, inferne flauo-aurantius; capite ſuperiore et collo caeruleo-violaceis, viridi-aureo colore variantibus, genis et gutture nigris; taenia transuerſa in pectore viridi-aurea; rectricibus nigricantibus, quatuor intermediis viridi-aureo mixtis vtrinque ſequenti exterius viridi-aurea, tribus vtrinque extimis apice oblique et dentatim albis. Trogon Cayanenſis viridis. Briss. *Orn. IV. pag. 168. Tab. 17. fig. I.*

Curucu di Cayenna verde. Trogon Cayanenſis viridis Briſſ. Gerini *Orn. II. pag. 53. Tab. 189.* (mala.)

Buc'hoz. *Abbild. der Vögel. Tab. 26.* (mala.)

Couroucou

Couroucou de Cayenne. *Pl. enl. No. 195.*

Le Couroucou à ventre jaune. Buff. *hist. des Oif. VI. pag. 291.*

Le Couroucou à chaperon violet. Idem *ibid. pag. 294.*

Foeminae fynonyma.

Le Couroucou verd à ventre blanc de Cayenne. — Trogon fuperne viridi-aureus, inferne albus; capite fuperiore et collo caeruleo-violaceis, viridi-aureo colore variantibus; genis et gutture nigris; taenia transuerfa in pectore viridi-aurea; rectricibus nigris, binis intermediis viridi-aureo mixtis, duabus vtrinque fequentibus exterius viridi-aureis, tribus vtrinque extimis apice oblique albis. Trogon Cayanenfis viridis ventre candido. Briss. *Orn. IV. pag. 170.*

Curucu di Cayenna verde nel dorfo e nelle altre parte fuperiori, e bianco nella pancia. Trogon Cayanenfis viridis ventre candido Briff. Gerini *Orn. II. pag. 53.*

Couroucou vert à ventre blanc de Cayenne. Buff. *Hift. des Oif. VI. pag. 293.*

Un autre individu. Idem. *ibid. pag. 294.*

Quae hic *tabula nona* exhibetur *Trogonis Curucui* icon ab *Eberleinio* magnitudine naturali fecundum exemplar in Collectione Dolmeriana confecta, adeo naturae refert fimilitudinem, vt non facile defcriptionis defectum fentias, a qua conficienda eo tempore impeditus fui.

Frin-






B. Merrem pinx.

Drossel Finke.
Fringilla iliaca.

Grüner



+ Fringilla Iliaca.

Noua haec eſt Fringillae ſpecies, ab Armigero Haſſico ex America ſeptentrionali aduecta, inque meum translata Muſeum, cuius ſolam hic exhibeo deſcriptionem, qui de patria, moribus, vitaeque ratione ac victu illius adferre alia plura haud aeque poſſim.

DESCRIPTIO
FRINGILLAE ILIACAE.

Tabula Decima.

Magnitudo Sturni.

Roſtrum conicum, acuminatum, flauum, pagina ſuperiore et apice nigrum.

Nares minimae, ouatae, ſub fronte fere latentes.

Caput paruum.

Collum breue.

Corpus pennis magnis mollibus amplisque tectum, plumis indutum nullis.

Alae breues, conflatae ex *Remigibus* ſedecim, quarum prima breuiſſima, ſecunda huic multo longior, tertia paullo longior ſecundae omnium longiſſima eſt: inde ad decimam vsque, excepta decima-ſexta, omnium breuiſſimam, ſenſim decreſcunt; a qua iterum ad decimam vsque quintam longitudine augentur. Priores quinque acuminatae ſunt, anguſtamque habent barbam exteriorem, a baſi tamen vltra mediam pennae longitudinem, in 2, 3, 4, 5 amplificatam: Sextae quoque, 7, 8, 9 et 10 barba exterior adhuc quodammodo valde anguſta, earumque remigum apex oblique truncatus eſt; 11, 12, 13 fere truncatae ſunt; 14, 15, 16 autem rotundatae, et ex iis priores binae aequalis longitudinis barba inſtructae ſunt. *Ala notha* pennis conſtat tribus acuminatis. *Superiores* alarum *tectrices* primi ordinis duriuſculae ſunt, atque acutae, ſecundi ordinis magnae ac rotundae, tertii ordinis paruae et rotundae; eiusdemque indolis marginales *tectrices inferiores;* reliquae molliſſimae, ampliſſimae, longiſſimae.

Pedes magni, ſcutis vix dignoſcendis antice obtecti, caeterum fere glabri. *Digiti* breves, fortesque, eorumque medius longiſſimus, laterales paullo breuiores, poſticus omnium breviſſimus, aſt vnguicula longiſſima fortiſſimaque praeditus. *Vnguiculae* longae acuminatae, ſubincuruae, imbecilles. Pedes, digiti et vngues flaueſcunt.

Cauda aequalis, Rectricibus conſtans duodecim, mollibus, rotundato-acuminatis.

Color pennarum ſuperiorem corporis partem tegentium baſi cinereus, medio oliuaceus, apice fuſcus. Uropygium et Cauda rufa; Rectricum autem externa quaeque reliquis dilutior, barba vero latior Rectricum 2, 3, 4, 5 prope ſcapum ad cinereum tendit colorem. Cauda ſubtus dilute griſea. Remiges fuſcae, margine exteriore rufae, vltimarum apicibus albidis. Alarum tectrices ex rufo-fuſceſcunt. Inferiores corporis partes et genae albae ſunt, apicibus pennarum gutturalium et hypochondriacarum bruneis, in vtroque corporis latere lineam bruneam formantibus. In pectore inſuper ſparſae ſunt maculae griſeo-fuſcae triangulares, in ventre lineolae fuſcae. Inferiores alae tectrices canae ſunt, marginibus apicibusque albis.

MENSURAE.

Longitudo ab apice roſtri ad caudam extremam - - -	6″	8‴	5⁗
Longitudo roſtri ad frontem - - - - -	0,	5,	0
Longitudo alae complicatae - - - - -	3,	2,	6
Longitudo pedis - - - - - -	0,	11,	5
Longitudo digiti medii (Vnguis 4‴ 1⁗) - - - -	1,	0,	8
Longitudo digiti externi (Vnguis 3, 5) - - - -	0,	10,	5
Longitudo digiti interni (Vnguis 3, 5) - - - -	0,	9,	3
Longitudo digiti poſtici (Vnguis 4, 5) - - - -	0,	7,	9
Longitudo caudae - - - - - -	2,	5,	5.

Pene-



Berkenkamp del. Eulner sc.

Grünglänzender Yäku.
Penelope Jacupema.



Penelope Iacupema. *

Quamquam more ſuo nimis variis iuſtoque lucidioribus colorum pigmentis EDWARDUS auem illam, quam *Quan* nomine a conterraneis appellari refert, repraeſentauerit, facile tamen apparet, hanc iuxta cum illa, quam in GERINIANO Opere, quamlibet maiori adhuc colorum varietate inſignem, diuerſoque corporis habitu pictam, ab EDWARDO tamen certe transſumtam mutuatamque, vel ipſa fidem eius rei faciente deſcriptione EDWARDina, agnoſcas, eandem cum noſtra auem referre; cuius exuuiarum viſendarum copia mihi facta eſt in Muſeo Viri Ampliſſimi Conſultiſſimique, F. W. ICKEN, Reipublicae Bremanae Senatoris grauiſſimi. Iure etiam meritoque

ad

* Iacupema Braſilienſibus. MARCGR. *Hiſt. Braſ. pag. 198.* (cum figura peſſima.)

Iacu - Pema. PISON. *Ind. pag. 81.* cum figura Marcgrauii.

Iacoupen? LERIUS DE BRY *Amer. III. pag. 185.*

Iacupema Braſilienſium Marcgrauii. WILLUGHB. *Orn. pag. 118. tab. 28.* cum figura Marcgrauii.

Phaſianus Braſilienſis Iacu-pema dictus Marcgrauii. RAII *Syn. Av. p. 56* (male coniuncta hac aue cum Cozolitli Fernandezii, qua in re Kleinius Raium ſecutus eſt.)

Iacupema Braſilienſibus. IONSTON *Av. pag. 204. tab. 58.* fig. Marcgr.

The Guan or Quan. EDW. *birds. I. pag. 13. tab. 13.*

Der braſiliſche Faſan, Phaſianus braſilienſis. SELIGM. *Ausl. Vög. I. Taf. 25.* figura Edwardi.

Alector braſilianus. KLEIN *Hiſt. av. pag. 112.*

Phaſianus fuſcus braſilienſis. KLEIN. *l. c. pag. 114.*

Braſilianer. KLEIN *Hiſt. d. Vög. Seite 114.*

Brauner Braſilianer. KLEIN *a. a. O. Seite 118.*

Das ſchwarze geſchupte Huhn. HALLENS *Naturgeſch. II. Seite 426.*

Der dunkelbraune Faſan. IDEM *ibid. pag. 435.*

Coq du Bréſil. *Diction. des anim. I. pag. 699.*

Faiſan du Bréſil. *Dict. des anim. II. pag. 150.*

Le Dindon du Bréſil. Gallo-pauo caruncula in fronte carens. Gallo-pauo braſilienſis. BRISS. *Orn. I. pag. 162.*

Gallo-Pavone del Braſile. Gallo-Pavo braſilienſis Briſſ. GERINI. *Orn. II. pag. 77. tab. 227.*

Guan ſ. Quan. *Onomat. hiſt. nat. compl. IV. pag. 96.*

Meleagris (criſtata) capite pennis erectis criſtato, temporibus violaceis. LINN. *ſyſt. nat. ed. 12. I. pag. 269.*

Der Braſilianiſche Truthahn. Meleagris criſtata. MÜLL. *Linn. Nat. Syſt. II. Seite 464.*

BOROWSKY *gemein. Nat. Geſchichte. II. Seite 170.*

LESKE *Nat. Geſch. I. Seite 222.*

L' Yacou BUFF. *hiſt. nat. des Oiſ. II. pag. 387.*

Der Yaku. BUFF. *allgem. Hiſt. d. N. Theil 10. Band 2. Seite 74. Taf. 16.* cum fig. Edwardi.

Meleagris criſtata. Der Jaku. GATTERER *vom Nutz. u. Schad. der Thiere II. pag. 243.*

A Braſilienſibus ac Guyanenenſibus ſecundum Marcgrauium Iacupema, *ſecundum Edwardum* Guan, *ſiue* Quan *dicitur.*

ad eandem cum *Quan* EDWARDI ſpeciem MARCGRAVII *Iacupemam* ab Illuſtribus naturalis hiſtoriae ſcriptoribus, a BRISSONIO quidem, LINNAEO et Comite A BUFFON relatam eſſe, collata hac Iacupemae noſtrae deſcriptione cum MARCGRAVIana non dubitaueris amplius, vtut illa abdomine leucophaeato, haec vero toto nigro praedita ſit.

Noſtra ſane, quam hic exhibemus, auis exemplo eſt, quam difficile ſit, Genera in Gallinarum Ordine recte conſtituere. EDWARDUS nempe, LINNAEUS atque BRISSONIUS *Meleagridem* appellant; Ill. Comes A BUFFON inter *Craces* recenſet; MARCGRAVIO Phaſianus eſt. Anatome in auxilium vocata mox apparet, *Cracibus* eſſe inferendam, ingluuiei nempe, ventriculi, inteſtinorum, aſperaeque arteriae ſtructura adeo Craci Alectori ſimilis eſt, vt, ſublata omni dubitatione, eiusdem cum ea generis cenſeri debeat; non obſtante eo, quod cera omnino careat, roſtrique figura, externoque corporis habitu quodammodo diuerſa ſit. Hanc porro *Penelopen Iacupema*, ſi cum *Leucolopho*, cuius deſcriptio ſequitur, comparaueris, toto corporis habitu illi ſimillimam deprehenderis, niſi quod huius arteria aſpera, vt in plerisque auibus, recta in pectus procedat; cum contra in *P. Iacupema*, perinde vt in *Parraka* prius ſupra totum ſternum extendatur atque reflectatur quam pectus intret *. Vnde coniicio, nec ceram, nec aſperae arteriae conformationem ad genera diſtinguenda ſufficere. Obſeruaui etiam in diuerſis Cracibus, hactenus quidem deſcriptis, a grandi inde Cracis Alectoris cera ad plane deficientem, inque caeteris congenerum auium ſpeciebus a cutis nudae, ſub gutture pendulae, genarumque nudarum, papilloſarum, et reliquorum capitis ornamentorum, tam carneorum quam pennaceorum praeſentia, ad harum vsque rerum defectum, tot vix animaduertendos adeſſe gradus, qui impediant, quo minus generum characteres certi inde poſſint depromi; multasque adeo volucrum ſpecies, multis modis a ſyſtematum conditoribus aut ſeparatas aut coniunctas, tam propinqua cognatione inter ſe eſſe connexas, vt omnes ad vnum idemque genus, *Alector* (germanice *Hocko*) nominandum, referendae ſint, ſitque adeo veriſimile, eas, niſi magnitudo impediat, generatione hybrida pullos procreare poſſe: Quod genus, cum multas ſane ſpecies comprehendat, in plures phalanges diuidendum videtur, quarum primam cum LINNAEO atque BRISSONIO *Cracem*, eam, ad quam noſtra pertinet ſpecies, *Penelopen*, tertiam, ad quam Phaſianus Motmot et ſimiles ei referendae ſunt aues, *Ortalida* appello. A Gallopauone Iacupema noſtra, omnium internarum externarumque partium figura differt: a Phaſianis quoque cum congeneribus ſeparanda rectricum numero duodeno, earum figura, defectu calcarium in maribus, partiumque internarum ſtructura.

Exemplar,

* Accuratiorem aſperae huius Arteriae deſcriptionem, eiusque delineationem in *generali auium Hiſtoria* exhibebo.

Exemplar, quod nobis pro deſcriptione et delineatione inſeruit, ex *Guyana*, cuius ſpecies haec indigena eſt, in patriam vrbem viuum aduectum, ibique in auiario cum Gallinis domeſticis habitum, ſeminibus Zeae Maydis nutritum, breui poſt aduentum tempore mortuum eſt. De vitae genere praeſens eius Poſſeſſor, qui per binas tantum noctes viuum aluerat, exponere mihi non poterat. Secundum MARCGRAVIUM *Iacu*, *Iacu* clamitare, Caro guſtu ſuauis praedicatur.

DESCRIPTIO
PENELOPES IACUPEMAE.

Tabula Vndecima.

Magnitudo Gallinae domeſticae magnae; *Habitus* Cracum.

Roſtrum gallinaceum, absque cera. *Nares* maximae, a roſtri exortu ad mediam vsque eius longitudinem porrectae, baſi magna ſquama obtectae.

Caput paruum, criſta humili, ex pennis longioribus conflata tectum. EDWARDUS etiam non criſtatas inuenire refert, quas pro foeminis habet. *Genae* nudae, cute nigra, ſecundum EDWARDUM caerulea, veſtitae. Sub *Gutture* cute itidem nuda, laxa, vibriſſis paucis nigris inſtructa, ſanguinea, pet ſemunciam pendula donatur. *Oculi* grandes.

Collum longum.

Corpus elongatum, teres, pennis magnis veſtitum. Pennae dorſales breues ſunt atque plumoſae.

Pedes fortes, ſcutis tecti. *Digiti* ſemipalmati, longiusculi; medius longiſſimus, laterales multo breuiores, poſticus omnium minimus. Color in viua aue ſanguineus eſt, in mortuae exuuiis, quibus vſus ſum, ex fuſco-rubeſcebant. *Vngues* breuiſſimi erant, acuti atque nigricantes, digitus vero poſticus omnino vngue carebat, cuius rei cauſſa in ornithonis ſolo lapideo ponenda mihi videtur.

Rectrices quoque in exemplari meo truncatae erant; neſcio an fractae, an abſciſſae.

Pennarum color niger, viridem colorem reflectens: ſub gutture atque collo, albo inſtructae ſunt margine. Abdomen totum nigrum, nec, vti MARCGRAVIUS deſcribit, leucophaeatum. Remiges maiores fuſceſcentes; dorſum bruneum, pennarum apicibus nigris.

MENSURAE.

Longitudo totius auis ab apice roſtri ad caudam extremam - -	1′	11″	0‴	0⁗.
Longitudo roſtri vsque ad frontem - - - -	0,	1,	4,	0
Longitudo roſtri vsque ad oris angulum - - - -	0,	1,	6,	3
Longitudo pedis - - - - - -	0,	3,	2,	3
Longitudo digiti medii (Vnguis 2‴ 8⁗) - - -	0,	2,	4,	0
Longitudo digiti externi (Vnguis 3‴ 0⁗) - - -	0,	1,	8,	6
Longitudo digiti interni (Vnguis 2, 8) - - - -	0,	1,	7,	0
Longitudo digiti poſtici (Vnguis nullus) - - - -	0,	0,	11,	5.

Pene-





Borkenkamp del. Endner sc.

Weishaubiger Yaku.
Penelope leucolophos.



Penelope Leucolophos. *

Auis haecce praecedenti, vt facile cuique, vtriusque icones comparanti, apparebit, fimillima, nifi quod corpore fit graciliori, afperaque eius arteria recta via pectoris cauum intret, non aeque, vt in priori, fuper fternum reflexa, eodem cum illa tempore ex Guyana allata, nec ipfa viuacior, ac priusquam praefens eius Poffeffor mores eius obferuare poffet, mortua, in eodem artificiofe farctarum Auium mufeo Grauiffimi IKENII afferuatur.

Delineata a me non fuiffet, certe hoc loco aeri incifa non exhibita denuo, nifi ferius, quam optaffem, BAJONIS defcriptionem, iconemque accepiffem; ea vero, quam eius imaginem coloribus illuftratam expreffamque in *Mantiffa ornithologica* fua Cl. DE IACQUIN filius edidit, a naturae veritate aberrantem, adiectamque eius defcriptionem ita comparatam animaduertiffem, quae magis fecundum figuram, parum curatam, quam infpectis praefentibus auis exuuiis confecta videatur. Forte deceptus Vir ille Clariffimus fimilitudine auis noftrae cum reliquis Cracibus, ceram illi tribuit, quam nullam habet; deinde etiam in eo fallitur, quod albis maculis in pectore notatam referat, vti etiam figura eam exhibet, cum re vera pennae omnes pectorales atrae, marginibus autem albis circumdatae fint: Caudam idem tam male delineatam fiftit, vt ne auium quidem caudam referre videatur; etiamfi enim, in eo, quo vfus fum, exemplari, haec ipfa mutila confpiceretur, hoc tamen coniicere licebat, longam fuiffe eam, atque pendulam, quae mea coniectura etiam BAJONIS defcriptione confirmatur; non autem, vt IAQVINUS exhibet, breuem, rectamque. Non minus naturae aduerfatur character et defcriptio, quae remiges primas albas praedicant, re vera nigras, tectricibus autem albis, fcapo nigro inftructis, praeditas.

Habitat rarius in propinquis Cayennae regionibus, totius Guianae tractuumque confinium incola inter flumina Orenoko, atque Oigapok, inprimis in inferioribus terrae prope Amazonum flumen. Vox imbecilla atque duplex, altera Gallopauonum iuniorum fimilis, ab aue faepe editur, et a barbaris fono Cujovit affimilatur, alteram ab animalibus tantum perfecuta, aut morbo, fameque

* Iacoutin? LERIVS DE BRY *Amer. III. pag. 185.*
L'Yacou. BAJON *Mem. pour fervir à l'hift. de Cayenne. I. pag. 398. Tab. 5.*
Der Orenoko Pauwis. Crax (*cumanenfis*) cera nigra, corpore nigro, crifta remigibusque primis albis. IACQUIN *Beytr. zur Gefch. d. Vög. Seite 25. Taf. 10.*
In Brafilia Yaku, *in Guyana* Kujowit *auctore Bajon dicitur.*

fameque laborans edit, Yaku ſono ſimilem *Maraye* maribus vitaeque genere ſimillimam refert BAJON, eodem ac illa modo caudam tollere et rotare, per minora tantum ſpatia volitare, nidumque in arboribus trunco proximum ſtruere, oua quatuor ſexue ponere pullos a matre tantum, donec pennae creuerunt, nutriri, inde in terram deſcendere, granisque, fructibus, vermibus et inſectis, a matre terra ruſpandis veſci, ac facile manſueſcere narrat.

DESCRIPTIO
PENELOPES LEUCOLOPHI.

Tabula duodecima.

Penelope Iacupema minor, atque gracilior.

Roſtrum minus, magisque depreſſum, quam in congeneribus, ex nigro corneum. *Nares* amplae, fere totae ſquama tectae. Cera nulla.

Caput paruum. *Genae* nudae, atrae; ex BAJONIS deſcriptione coeruleſcentes, vt in *Gallo-pauone Meleagride* LIN. iuniore. Pileus vsque ad nucham criſtatus pennis longis anguſtis.

Oculi ex Conſultiſſimi Doct. Senat. IKEN deſcriptione tantae erant pulchritudinis, vt pulchriores vllos ſe vnquam in aue quadam vidiſſe, negaret. Grandes erant, ſcribit in literis ad me datis, prominentes, atque ex obſcuro claram referebant lucem, Adamantis ſplendori ſimilem, proque vario corporis ſitu eiusdem interdum videbantur coloris: Scio equidem, addit, magnam me, multique momenti moliri comparationem, ſed hoc ſane ſcio, omni, quacum comparari potuiſſent, re pulchriores fuiſſe, omnique comparatione ſuperiores. BAJONUS oculos magnos, prominentes, et pallide roſea iride praeditos eſſe dicit.

Gula cute nuda, minus tamen, quam in praecedenti pendula, nigra, pennis raris, pilorum aemulis, hinc illinc tecta veſtitur.


Collum longum.

Corpus gracile, pennis magnis rotundis veſtitum.


Alae vltra caudae exortum protenſae, remigibus conſtant duris, rotundatis, quarum binae priores ſupra mediam longitudinis partem anguſtantur, et falciformes exiſtunt. *

Crura

* Altera harum remigum, Brema iamiam a me relicta, in inferiore tabulae duodecimae parte depicta, nimis recta delineata eſt.








SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 00865 7967